




Lugduni Batavorum.
pud FELICEM LOPES de HARO A°. 1669.



WILHELMO COMITI DE HOORN.

TIbi, ILLUSTRIS & GENEROSE Domine, offero quod nunc prodit opus, Orbem IMPERANTEM: memor tuorum erga me beneficiorum. Et quandoquidem post tot annos, quibus prima inter nos

notitia Harderwici inita eſt, cum tu diſcipulus, ego ita diſponente, jubente & volente PARENTE tuo, præceptor eſſem, te DEUS reſervavit in ea tempora ut Patriæ tuæ inſervires, eo munere quod tibi competit: accipias à me, tenue quidem, ſi humana ſpectes, ſed magnum Divinæ Providentiæ opus. Leydæ 1. Aug. 1667.

T. Generoſit.

Humilis Servus,

G. HORNIUS.

GEORGI HORNI

ORBIS IMPERANS.

TOTUS ORBIS IN TREDECIM IMPERIA DIVIDITUR.

Idque ſecundum numerum tredecim tribuum Iſraëlis & tredecim Apoſtolorum. Quanquam enim ordinarie XII. *tantum tribus & totidem Apoſtoli numerentur: revera tamen, annumeratis tribu Levi, & Apoſtolo Paulo, tredecim fuerunt. Pari ratione, non abſque occulta providentia divina, tredecim hodie Imperia Orbis terrarum numerantur, ſub quibus omnes Continentis inſularumqne populi tanquam totidem tribubus, continentur. Quæ ſunt Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia, Nortmannia, Polonia, Ruſſia, Turcia, Perſia, India, Tartaria, Sina, Abaſſia.*

IMPERIUM ROMANO-GERMANICUM

CANON I.

Deficientibus CAROLINGIS *inter* Italos *ac* Germanos *de Imperio certatum.*

1. Initium hujus rei factum A.C. 888. primo *Arnulphi Imperatoris* Anno: tum enim *Berengarius* & *Guido* duces Imperatoris Caroli Calvi de Imperio Italiæ certare, seque Imperatores Romanorum appellare. A quo tempore perpetuos Imperatores Italia habuit usque ad A.C. 968. Quippe imminuta Francorum potentia, necdum adulta Germaniæ authoritate, Itali arbitrabantur ad nullos potius, quam ad sese spectare imperii dignitatem, & maximam rebellandi occasionem ipsis præbuerunt fatales eo tempore Normannorum & Hungarorum in Germaniam Galliamque anniversariæ irruptiones. Quantum tamen otii dabatur à bellis barbaricis id Galliæ ac Germaniæ expeditionibus Italicis contra Pseudo-Imperatores, *Berengarios, Guidones, Lambertos* & *Adelbertos*

bertos impenderunt. Inter has turbas *Episcopi Romani* authoritas magis magisque invaluit, & Romani inter varios magistratus fluctuare, ac non semel ad antiquam suam Rempub. & libertatem respicere, ejectisque regibus & Imperatoribus, *Consules* majorum more sibi creare. Finem Imperio Italiæ imposuit *Otto* II. qui *Adelbertum* ultimum Italiæ regem captum in Bavariam relegavit, ac Italiam imperio Germaniæ subjecit A. C. 969.

II. Initium Imperii *Romano-Germanici* cæpit Ann. 911. Cum enim *Ludovicus* IV. Transmarinus propter immaturam ætatem. ad res gerendas difficillimo illo tempore ineptus esset, turbatis Galliæ rebus, & Carolingorum familia jam ad extremam tabem deducta, proceres utriusque regni de creando novo Imperatore satagere, nonnullis in *Carolum Simplicem Galliæ Regem*, aliis in *Conradum Franconiæ Ducem* inclinantibus. Atque hic suffragiis & consensu populi superior, primus Imperium à Gallis ad Germanos transtulit, à cujus temporibus perpetua quasi lege exclusi fuerunt Galli, ac non semel armis eo adacti, ut legitimam Imperatorum Germanorum authoritatem agnoscerent Quanta autem ea sit dignitas, Johann. Barclajus cap. 4. Iconis animorum,

quo de Germania agitur, his verbis edifferit: *Nihil in Germanica gente magnificentius, quam quod nomen summi Imperii, aquilamque sibi habent, tanquam Romam Germania vicerit, & provinciarum ultima, quæ Italico jugo accessit, jam sit sola, in qua nomen ac reliquiæ fortunæ Romanæ acquieverint.* Tanti nominis Sancta Majestas nulla sociorum Principum æmulatione corrumpitur, Regesque quanquam viribus sæpe majores sponte Imperatorio culmini concedunt.

II.

Imperium Germaniæ tres habuit periodos.

Prima fuit à *Conrado* I. usque ad Electorum Originem ac confirmatam authoritatem, quod tempus certo anni charactere designari non potest. Quippe gravissima inter historicos controversia est, quo primum tempore Electores in Germania cæperint, & omnibus collatis, quæ pro hac illave sententia afferuntur, argumentis, tandem pronunciandum est non liquere. Quidquid sit, primam periodum terminamus excessu *Friderici* II. ac mago illo 23. annorum interregno usque ad initia *Rudolphi* I. *Comitis Hapsburgici*. *Secunda* à *Rudolpho* *Haps-*

Hapsburgico & A. C. 1273. uſque ad *Carolum* IV. & aureæ bullæ promulgationem, quæ facta A. C. 1356. *Tertia* ab A. 1356. uſque ad A. præſentem 1667. Quarta periodus ſi quæ dabitur, adhuc inſtat & futura eſt.

III.

Sub prima periodo Imperium partim fuit electivum, partim hereditarium, & in utroque ſtatu mere Monarchicum.

1. *Electio* optinuit, quotieſcunque Imperium ab una in aliam transferebatur familiam. Fiebat autem illa in communi Principum conventu, & omnes jus ſuffragiorum primis temporibus habuerunt, nulla adhuc inter Electores ac alios Principes differentia. Sed in hac ipſa Electione Imperium aliquandiu fuiſſe hereditarium multis argumentis oſtendi poteſt, inprimis ſub *Ottonibus*. Nam *Henricum* IV. jure hereditario ſucceſſiſſe hiſtorici diſertim tradunt. *Damianus* Papa R. in Epiſtola ſua apud Baronium *Henricum* IV. vocat *hæredem*; & *Bruno* Magdeburgenſis in hiſtoria Belli Saxonici dicit: *Henricus Rex ſingulos Teutonici Regni Principes ſupplex adivit, ſe de regno Saxoniæ, quod cum patria hereditate*

tum electione omnium eorum suscepisset, injuste depulsum. Et quod omni exceptione majus est argumentum, legimus filios etiam Minorennes à Parentibus successores declaratos. Hoc jus successionis interturbatum fuit morte *Henrici* V. cum is absque liberis decessisset. Mox sub *Friderico* I. *Barbarossa* iterum invaluit, & is Henricum filium Regem Italiæ ac successorem in Imperio designavit, quem cum Episcopi Calonienfis & Leodienfis pro Imperatore agnoscere recusarent, de utroque sumptum supplicium, ac *Leodiensis* etiam morte multatus. Ac *Henricus* VI. expressa lege jussit, ut ne amplius electio Imperatorum fieret., sed per solam sanguinis *successionem* Imperium conferretur, ita ut qui propinquior Imperatori esset, hereditariè fieret Imperator, Sed cum & ipse filium reliquisset *Fridericum* II. adhuc impuberem, Principes electionem, abrogata ejus lege, in integrum restituerunt, quæ ab eo tempore ita invaluit, ut nulla imposterum mentio vel successionis vel hereditatis fieret.

IV.

Sub Henrico *Aucupe Marchionatus constituti fuerunt.*

Conradus I. hosti suo Henrico, admiratione

tione virtutis ejus commotus, ſceptrum & coronam ante obitum miſit. Quæ Henrico aucupium ſectanti oblata, nomen ipſi Aucupis fecerunt. Cauſa Marchionatuum quotidianæ Hungarorum, Polonorum, Slavorum, Vandalorum, Danorum, ac Normannorum in Germaniam irruptiones, ad quos reprimendos conſtituti in limitibus *Marchiones*: Et hac occaſione A. 930. conſtitutus fuit Marchionatus Miſniæ adverſus Bohemos, Polonos, Sileſios, A. 928. conſtitutus contra Hungaros Marchionatus Auſtriæ, creato primo Marchione *Leopoldo* illuſtri ex Comitum Pabebergenſium familia A. 927. conſtitutus fuit Marchionatus Brandeburgicus contra Henetos, nec non Marchia Sleſwicenſis contra Danos. Hi Marchiones cum multa barbaris eriperent loca, paulatim aucta ditione ſua & potentia magnis principatibus originem dederunt. Auceps Hungarorum 40000. ad Merſepurgum deletis ludos equeſtres inſtituit qui *Turnoyæ* vocantur.

V.

Sub Ottone *primo maxima Imperii Germanici potentia fuit.*

Otto I. *Henrici Aucupis* filius à rebus geſtis *Magnus* appellatus collapſam poſt *Carolum*

lum Magnum imperii dignitatem reſtituit. Bohemiam, Franciam, Burgundiam, Italiam, Hungariam. Daniam, felici armorum ſucceſſu partim domuit, partim in officio continuit. Hungaros ad Auguſtam delevit tribus eorum Regibus Ratiſponæ ſuſpenſis. Rigidus juſtitiæ aſſertor, adulterum, quanquam ducta quæ corruperat, ſecuri percuſſit, jurans per barbam Othonis talia non eſſe perferenda. Ejus tempore Hatto Moguntinus â muribus corroſus dicitur. Ejus filius *Otto* II. cognomine *Pallida mors Saracenorum* Apuliam & Calabriam Græcis & Saracenis ereptam imperio reſtituit. Inprimis autem magna Ottonum Romæ ac in Italia authoritas fuit. Illi Papas creare & deponere nondum adulta Epiſcopi Romani potentia. Ad *Ottonis* III. tempora vulgo referunt primam Electorum inſtitutionem, ac legem illam, qua ab Imperio excluduntur, quicunque Originis Germanicæ non ſunt. De poſteriori non magna eſt dubitatio. Quod prius attinet, fit quidem mentio electionis circa tempora *Ottonis* III. Sed quod Bellarminus & Baronius ſeptem tum temporis electores à Gregorio Pontifice inſtitutos volunt, falſum omnino eſt. Creſcentium Coſs. Rom. punit: ab ejus vidua venenatis chirothecis tollitur.

VI.

VI.

Imperium à Francis *ad Saxones, à* Saxonibus *ad Francos*, *à* Francis *iterum ad Saxones*, *ab his ad* Suevos, *deinde ad diverſas familas, denique ad* Auſtriacos *aliquandiu interturbata ſucceſſione devolutum eſt.*

1. Supra dictum quomodo *Conradus* Franconiæ Dux, excluſis *Carolingis*, imperium ad Germanos tranſtulerit: cumque ei perpetuæ eſſent æmulationes contra *Henricum Aucupem* Saxoniæ Ducem, moriturus ſceptrum ac imperii coronam ei tanquam digniſſimo, qui ſuccederet, miſit, laudatiſſimo more publicam imperii ſalutem privato odio poſtponens.

2. A. C. 919. *Henricus* Saxoniæ Dux imperium in familiam Saxonicam intulit, dictus *Auceps*, quod ei fortè in aucupio verſanti inſignia cæſarea à *Conrado* miſſa offerrentur. Reſpuit is titulum Imperatoris, quem more ſeculi illius ſola conferebat unctio Epiſcopalis ac contentus fuit nomine *Regis Romani*. Nullus majora pro imperio geſſit præcipuè contra Hungaros, qui excurſionibus ſuis uſque ad Mare Balthicum

omnia per Germaniam infeſtarunt. Cumque nepos *Arnulphi Imperatoris* ac materna ſtirpe Caroligus eſſet, imperium jure ſanguinis ſibi deberi exiſtimavit, illudque ſucceſſionis titulo tranſmiſit ad poſteros. Atque hæc ratio eſt, cur Ottones hæreditatio jure ſucceſſerint. Non enim alio nomine quam quod ex *Caroli Magni* familia deſcenderent, excluſerunt electionem.

3. A. C. 1002. Imperium ad *Bavaros* tranſlatum, quorum primus fuit Imperator *Henricus* II. cognomine *Claudus* & *Sanctus*. Hic Bambergenſem comitatum maſculo carentem hęrede in Epiſcopatum convertit, cujus hodieque ampliſſima privilegia ſunt. Quippe Epiſcopi Bambergenſis feudatarii ſunt omnes quatuor Electores temporales, *Rex Bohemiæ* tanquam *Archi-Pincerna*, *Comes Palatinus* tanquam *Archi-Dapifer*, *Saxo* tanquam *Archi-Marſchallus*, *Brandeburgicus*, *Archi-Camerarius*: quæ omnia beneficia cum annexis ſuis commodis ex inſtitutione *Henrici* ſancti ab Epiſcopatu Bambergenſi in feudum recognoſcunt, atque hoc nomine *Epiſcopum Bambergenſem* recens initiatum non ſecus ac ipſum Cæſarem ſuis quiſque officiis præſtolari per delegatos tenentur.

4. A. C. 1024. Imperium ad *Francos* relatum,

relatum, electo *Conrado II. Salico*, id est, *Franco*. Idem enim Salicus est ac Francus, & Lex Salica eadem quæ Francica. Sub hoc Regnum Burgundiæ amplissimum, quod totam Helvetiam, Sabaudiam, Burgundiã utramque & magnam Galliæ Lugdunensis partem complectebatur, ad Imperium Germanum testamento *Rudolphi* III. Ignavi A. 1033. pervenit, quod regnum alio nomine dictum fuit *Arelatense* à Metropoli *Arelate*, & cujus nomine Galliarum Reges diu Vasalli Imperii fuere, donec ea obligatione à *Carolo* IV. pecunia exsolverentur. Ei successit *Henricus* III. Niger, qui *Brecislaum* Bohemiæ Regem victum coëgit regio titulo abstinere, & ducis contentum esse. Romanis quoque Pontifices imposuit ac pro lubitu instituit, juramento insuper exacto ne inscio atque invito Imperatore Papam eligerent. Hæc occasio fuit ingentium turbarum inter Pontifices Romanos ac Imperatores, quæ post obitum *Henrici* III. imperante filio ejus *Henrico* IV. exarserunt. Præcipua fax *Hildebrandus* sive *Gregorius* VII. omnium, qui unquam fuerunt, Pontificium sceleratissimus fuit, & ipse *Henricus* prava educatione, malis moribus, aliisque vitiis, quæ apud Germanos priscæ adhuc virtutis homines & antiqui rigoris

tenaces, exosa erant, sese tot difficultatibus involvit. Præcipuè Saxones eum exagitarunt, contra quos non minora quam *Carolus Magnus* bella gessit. Successit controversia de Episcopali per annulum & baculum investitura. Eam sibi contra omnem consuetudinem inaudito exemplo vendicare *Hildebrandus* ac jus suum sibi asserente *Henrico* IV. quod nunquam contigerat, imperio deponere Principes, fide & obedientia absolvere, novos creare Anti-Cæsares, horrendis confusionibus Germaniam ac Italiam involvere. *Henricus* ab omnibus desertus tandem ultimæ necessitati cedere, seque *Hildebrando* supplicem sistere coactus fuit. Factum hoc in arce *Canusina*. Media ac atroci hieme *Henricus* nudis pedibus, lacero vestitu, toto aspectu ac corporis habitu miserabilis, pulsare fores ac lachrymis flagitare admissionem. Papa de sublimi fenestra amplexus scortum suum *Mathildim* despectare ac totum triduum jejunum ac omnis solatii inopem relinquere Imperatorem. Quarta die ægrè admissus leges accepit vilissimo mancipio intolerabiles & indignas, ac horendis exsecrationibus obstrictus fuit, ne unquam ab obedientia Papæ recederet. Interea spoliatus imperio à Saxonibus fuit, quod *Hildebrandus* perfidè & proditoriè in

Rudol-

Rudolphum Sueviæ Ducem contulit. *Henricus* læsa sæpius patientia in furorem versus primò *Rudolphum* acerrimo prælio prostravit, eique dexteram manum perfidiæ argumentum Godfridus Bulioneus amputavit, dein convocata Synodo *Hildebrandum* deposuit. Hinc acrius exarserunt iræ Pontificiæ, & qui successerunt *Hilbrando* Pontifices hostem toto orbe excitare in *Henricum*, ac ne quidquam addi ad impietatem posset, ipsos filios in parentem concitare, primò quidem *Conradum*, qui ab *Henrico* victus atque abdicatus fuit; deinde *Henricum*, à quo Pater *Moguntiæ* in consessu Procerum damnatus, ac Ingelhemii ab Episcopis vestitu & insignibus Imperialibus spoliatus fuit. Ac ne morte quidem ejus satiari potuit rabies hostium. Quippe sepulchro erutus, ac totum quinquennium, quasi quem terra tegeret, indignus; sepultura caruit. Hæc *Henrici* IV. vita Tragica fuit, qui nulli Principum à temporibus Alexandri Magni, & Julii Cæsaris fortitudine bellica concessit, quippe qui bis & sexagies aperto Marte semper victor conflixit. Sed idem omnium mortalium tota vita infelicissimus, adeò ut omnia astra, omnia elementa in perniciem ejus conjurasse videantur. Nec levioribus malis *Henricum* V. filium ejus Pontifices

exagi-

exagitarunt. Nam cum *Pascasio* extorsisset jus investituræ, paulo post ab eo excommucatus, ac à *Lothario Saxone* victus tandem jure cessit antiquissimo Imperatorum, ac omnes Episcopatus immediatè Pontifici Romano submisit, à quo tempore etiam confirmata fuit tytannis Pontificum Romanorum.

5. A. 1125. Imperium ad *Saxones* relatum, quorum Dux *Lotharius Henrico* V. successit. Præcipuum operum ejus fuit, Romani juris jamdiu desueti restitutio, cum antiquissimus Codex in Apulia repertus, & ab ipso Pisanis donatus fuisset, in qua urbe primam Juris professionem instituit.

6. A. 1138. successerunt in Imperio *Suevi*, quorum primus *Conradus* III. sub quo feralia illa factionum nomina *Guelphi* & *Gibellini* primum audita sunt. Origo eorum ita se habet. Contendebant de imperio duæ potentissimæ familiæ *Henricus Superbus* Bavariæ & Saxonum, ac *Conradus* III. Sueviæ Dux *Henrici* frater erat *Guelphus*. cumque A. C. 1140. prælium ad oppidum *Winsbergam* committeretur, Bavari inclamare suum *Guelphum*, Suevi suum *Weiblingen*, quod oppidum hodie *Ducatus Wirtenbergici* est, & in quo natus ac educatus *Conradus* fuerat. Ex hoc nomine *Weiblingen*

blingen Ital. *Gibellinos* fecerunt. Referuntur & aliæ nominum horum origines. Id certissimum est ab eo tempore per tria secula & amplius Italiam in duas has scissam fuisse factiones. Nam qui partes Imperatoris sequebantur *Gibellini*, qui Pontificem Romanum & hostes Cæsaris *Guelphi* dicti, & hodieque factionum illarum reliquiæ apud Italos supersunt. Tam levi momento oriri, tam difficulter extingui nomina & odia factionum possunt.

DE BELLO SACRO
SEU
Expeditione in Palæstinam.

1. His ipsis temporibus *Occidentales* seu *Latini* plusquam humana audacia contra *Turcas* pro recuperanda *Palæstina* expeditiones suas suscepere, quæ tribus sequentibus seculis perpetua quasi serie continuatæ fuerunt. Tam subiti ac ingentis motus caussa secundum Deum à Pontificum Romanorum tyrannide ac hominum ejus seculi superstitione arcessenda venit. Cumque Pontifices *Henrico* IV. & V. tandum extorsissent jurisdictionem sacram, ac insuper nossent verissimum esse illud axioma, *Nullum violentum diuturnum*, ne iterum *Ottones* ali-

qui

qui emergerent, ac jus antiquum imperio vendicarent, ablegare eos religionis, quod efficacissimum in mentes hominum instrumentum est, specie ac prætextu in Orientem visum, ac eo facilius quantumvis difficilem profectionem sibi persuaderi patiebantur Principes populusque, quod existimarent peccata nuspiam efficacius quam ad sanctum Salvatoris nostri sepulchrum expiari posse. Juventutem excitabat gloriæ cupido, & agnata ætati illi curiositas. Quid speciosius quam perlustrasse abdita Orientis, Ægyptum ac Syriam toties nominatas in historiis regiones coram spectasse? Sed supra omnia ingens ad audaciam telum Hierosolymam & in sacris Scripturis ab ipso Deo non nominatâ modo, verum etiam habitata loca perlustrare. Hæc causa. Occasio, ut in magnis plerumque rebus fieri solet, ad modum ixigua. *Petrus* quidam Monachus cognomine Eremita ex Episcopatu Galliæ Ambianensi statura parva & contemptibili Hierosolymam forté delatus, ad Patriarcham divertit, atque ibi inter mutua, ut fieri solet, colloquia de servitute, quam sub Turca paterentur fideles, de quotidiana miseria Christianorum multa ac tristia intellexit, nec spem ullam in Græcis Imperatoribus superesse. *Petrus* promittere ad concitandos pro-

pro recuperanda terra ſancta Latinos operam omnem ſuam & diligentiam. Quid multis: Scribuntur literæ ad Papam, ad Imperatorem *Henricum* IV. ad Reges Principeſque alios. Ita inſtinctu *Petri* A. 1095. Concilium Claromonti in Gallia habitum fuit, ac communi totius Eccleſiæ conſenſu decreta in Turcas expeditio ora recuperanda terra ſancta. Quicunque illi nomen dabat, inſigne in veſtimentis ſuis crucem præferebat, ac dedecus videbatur pro ejus amore, qui noſtri cauſa crucem pertuliſſet & mortem acerbiſſimam, nolle ſubire crucem pictam ad expeditionem etiam abſque pietate tam glorioſam & utilem. Ergo velut œſtro & furore divino perciti ad glorioſam militiam certatim concurrebant. Verba Wilhelmi Tyrii, qui integrum hoc bellum vaſtum deſcripſit, notabilia hæc ſunt lib. 1. c. 16. *Dividebatur maritus ab uxore, uxor à marito, Patres à filiis, filii à Parentibus, nec erat caritatis vinculum, quod huic fervori poſſet facere præjudicium, ita ut è clauſtris multi egrederentur Monachi & incluſi de carceribus. Nec tamen apud omnes erat in cauſa Deus, ſed quidam ne amicos deſererent, quidam ne deſides haberentur, quidam ſola levitatis cauſa, aut ut ſuos creditores declinantes eluderent, aliis ſe adjungebant*

Omnes

Omnes ergo ex caufis variis properabant. Non erat in regnis Occidentalibus, qui aut ætatis aut fexus, aut conditionis aut ftatus vellet effe memor, aut aliquibus perfuafioni bus deterritus ab incepto defifteret. Sed omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore votum profitebantur.

2. Hujus expeditionis Imperator conftitutus fuit *Godofridus Lotharingiæ Dux vulgo dictus Bullioneus*. Multitudo hominum, qui in Germania convenerunt, numerari non potuit. In octo exercitus divifi fuerunt, ex quibus quatuor ab Hungaris, Bulgaris, & Græcis in tranfitu deleti, reliqui partim terra partim mari in Afiam penetrarunt, ac apud Niceam Bithyniæ urbem recenfito numero inventa fuerunt fexcenta peditum & equitum loricatorum centum millia.

Primò expugnata fint Nicea Solymanni Turcarum Imperatoris urbs regia: Inde emenfa omni Afia minori Antiochiam Syriæ ad Orontem fluvium perventum, fed ita imminuto exercitu bello, fame, pefte, & mutuis diffenfionibus, ut vix centum millia in univerfum fupereffent. Nono demum menfe non aperta expugnatione fed fraude ac proditione capta fuit urbs. In ea Chriftiani mox iterum obfeffi à Saracenis fuerunt, ac tam miferabili fame confumpti, ut cum pergerent

gerent ad obsidendam Hierosolymam vix 30000. hominum superessent. Nihilominus urbs A. 1099. decima-quinta Julii hora diei nona per vim expugnata fuit., ea ipsa, quod observatum, hora. qua Dominus ac Salvator noster in eadem urbe extinctus fuit. Innumeri in ea Saraceni obtruncati ac intra solius templi ambitum 10000. interfecta Octavo die post nimirum 23. Julii *Gothofriedus* creatus fuit Rex Hierosolymorum, qui tamen regis titulo usus nunquam fuit. Unde per errorem vulgo annumeratur Regibus Hierosolymorum. Quippe ipse nunquam consecratus neque coronatus secundum vulgarem traditionem respuit coronam, propterea quod impium esse duceret eo in loco auream coronam gestare, in qua servator noster spinea fuisset coronatus. Sed vera ratio est, quod non Rex verum Dux Hierosolymorum creatus fuit: unde sepulchro ejus hæc tantum verba fuerunt inscripta: *Hic jacet inclytus Godefridus de Bouillon, qui totam istam terram acquisivit cultu Christiano.* Anima ejus acquiescat in pace. Atque hinc Wilhelmus Tyrius primum, regem facit *Balduinum.* Verba ejus sunt lib. 11. c. 12. *Ego Balduinus D. G. Rex Ierusalem Latinorum & Francorum* 1. & lib. 12. c. 1. *Secundus Hierosolymorum*

Rex

Rex ex Latinis fuit Dominus Balduinus de Burgo. & lib. 16 c. 1. *Defuncto Domino Fulcone Hierosolymorum ex Latinis Rege tertio*. Hæc observanda sunt contra supinam vulgarium historicorum negligentiam, qui hunc ordinem sua authoritate invertunt.

3. Ita fundatum *Hierosolymorum* regnum sub novem regibus per 88. annos stetit. Extensum longè lateque per Arabiam, Syriam & Mesopotamiam fuit, ac perpetuis Ægyptiorum Turcarumque invasionibus vexatum. Expeditiones à Latinis in subsidium Terræ sanctæ multoties iteratæ fuerunt, ac solenne erat ad extinguendum Christianorum Principum diffidia crucem prædicare. Celeberrimæ tamen quæ fuerunt. Prima A. 1147. suscepta horatu *Eugenii* III. Papæ Romani, & S *Bernhardi* abbatis Clarevallensis, à *Conrado* III. Imperatore & *Ludovico* VII. Rege Francorum. Solus *Conradus* 200000. in exercitu suo ducebat, in quo ad 70. equitum cataphractorum millia erant. Tanti apparatus spes partim *Emanuelis* Constantinopolitani Imperatoris fraudibus partim propria negligentia periit. Græci per summam malitiam farinæ calcem admiscebant, unde Milites pestilenti pane comesto strangulabantur. Altera majori adhuc animo, sed æquè infelici

lici successu A. 1189. à *Friderico* I. *Barbarossa* Imperatore, *Philippo Augusto* Francorum, *Richardo* I. Anglorum Regibus suscepta fuit. Occasionem dedit *Iosephus Salahadinus* natione Turca, qui à *Mahmude Nuredino* Rege Syriæ in Ægyptum auxilio *Caliphæ* ejus gentis contra *Almericum* Hierosolymorum Regem missus, captata occasione obtruncato *Elphaiz*, ultimo Ægyptiorum *Calipha* totius Ægypti Imperium, ac mortuo paulo post *Nuredino* ipsam quoque Syriam consecutus regnum Hierosolymitanum A. 1186. funditus evertit. Ita Christiani tres tantum urbes Tripolim, Tyrum ac Antiochiam retinuerunt.

Hoc tristissimo in Europam allato nuncio longè major quam sub *Godefrido Bullioneo* Principum ad recuperandam terram sanctam ardor fuit. Solus *Fridericus* ex Germania fortissimorum virorum 600000. eduxit, quorum symbolum in armis vestibusque crux globo insistens, quo significabant Jesum Christum crucifixum totius orbis Dominum esse debere. Idem Gallorum Anglorumque ardor, & in Gallia decretum, ut quicunque domi manerent decimas omnium bonorum persolverent, quę diu post *Saladini* decimæ dictæ. Primum exercitus hujus infortunium in *Cilicia* contigit. Nam cum

cum *Fridericus* Imperator capto *Iconio* Turcarum regia urbe jam ipſam in oculis haberet Syriam, æſtu ſolis defatigatus ac in fluvio, quem alii *Cydnum*, alii *Selephum*, alii *Farfarum*, alii *Ferrum*, alii *Saram* dicunt, inter natandum, nimio aquæ rigore conſtrictis venis, & præcordiis interclusis extinctus fuit. Ita vulgo narratur obitus invictiſſimi Principis. Alii aliter, ac mirum ſanè eſt de tanta re dubitari, quæ in conſpectu tot hominum millium facta fuit. Nobis tota hęc narratio ſuſpecta, imò fabuloſa videtur Imperatorem in *Selepho* flumine ſubmerſum. Extat *Thagenonis* cujuſdam, qui ipſe expeditioni præſens interfuit, ac minima quæque dietim annotavit, accuratiſſimum itinerarium, in quo nihil hujus occurrit. Meminit quidem caſtra ad flumen *Selephicam* poſita fuiſſe 7. Idus Jun. triduo poſt 4. Idus Jun. A. 1190. qui erat dies Solis, circa veſperam Seleuciæ ſubito obiiſſe dicet Imperatorem nulla mentione ſubmerſionis vel fluminis facta, ac quantum ex verbis ejus colligi poteſt, extinctum Imperatorem apoplexia vel alio quodam acuto morbo vult. Ita amiſſo capite turbari res Chriſtianorum, ac magno conatu nihil agi. *Ptolemais* tamen ſive *Acco* maxima urbs à Chriſtianis expugnata. Sed veluti pomum Eridis diſ-

ſenſione-

ſenſione ac diffidentia caſtra eorum implevit. Occaſionem *Lupoldus Auſtriæ Dux* præbuit, qui expugnata turri, cum inſignia ſua faſtigio ejus impoſuiſſet, *Richardus* Anglorum Rex illis dejectis per contemptum ſua imponere. Parum aberat quin in ipſa urbe pro unico vexillo inter Chriſtianos pugnaretur. Magno hæc contumelia *Richardo* ſtetit, cujus in tota illa expeditione plura crudelitatis ac furoris quam fortitudinis extant monumenta. Quippe captivorum Turcarum 7000. nefariè obtruncari juſſit, quibus totidem Chriſtiani ex captivitate liberari potuiſſent. Ac tanta barbaries in caſtris Chriſtianis exercita fuit, ut alii Turcarum cruorem avidè haurirent, alii pellibus eorum pro veſtimentis uterentur. Mox diſſentire inveterato odio Gallus & Anglus, ac ipſe *Philippus*, infecta re, domum itionem parare, prius ſacramento præſtito, nihil ſe contra abſentis *Richardi* provincias molíturum. *Richardus* interea titulum regni Hieroſolymitani invadere, multa turbare, nihil expedire, & paulò poſt ipſe quoque Syria excedere, ac in reditu tempeſtatibus in Dalmatiam ejectus templarii habitu per Germaniam progredi ſtatuit. Ceterum conſcius ſibi facinoris erga *Lupoldum* patrati, cum evitare Auſtriam non poſſet, adſumpto

Coci

Coci viliſſimo ac fuligine deformato veſtitu ſperavit ſeſe captivitatem evaſurum. Cumque carnes veru ad focum aſſaret, hoſpes preciosum annulum, quem per oblivionem digito non detraxerat, conſpexit, remque ſtatim ad Ducem *Lupoldum* detulit. Prodebat etiam eum Anglica lingua, ac majoris majeſtas, quam ut viliſſimo habitu diſſimulari poſſet. Statim miſſi qui eum adducerent, ſatellites. Sed *Richardus* regiis veſtimentis receptis ſtricto enſe negabat alius ſe captivum, quam ipſius Ducis fore, ac adventanti Duci obvius factus gladium porrexit. Huic *Richardi* captivitati maximum incrementum ſuum Auſtria debet. Quippe *Lupoldus* tantum pecuniæ ſibi ex Regis redemptione comparavit, ut Stiriæ Ducatum; Neuburgenſem, Lincenſem ac Welſenſem comitatus, inſuper Beilſtein, Klingenberg, Putten & Hunsberg coëmeret, pomeria urbis Viennenſis ampliaret, ac mœnia nova unà cum D. Mariæ templo monumentum hujus rei ad poſteros conſtitueret. Tertia in Orientem expeditio A. 1228. à *Friderico* II. Imperatore ſuſcepta fuit tanto hominum ſtudio, ut ex ſola Anglia 60000. hominum ſeſe itineri commiſerint, quo tempore *Damiata* firmiſſimum Ægypti clauſtrum Harlemenſium Batavorum

artifi-

-tificio expugnata fuit. Sed paulò poſt cum Chriſtiani ignati Nilum anniverſario eluvio inundare cunctam Ægypti planitiem, in Barbarorum omnes veniſſent manus, *Me-dino* Ægypti Sultano reſtituta fuit. Nihilominus Hieroſolymorum regnum interum recuperavit *Fridericus* II. quod non diu poſt A. 1247. à *Chorasmiis* Perſica gente Tatarorum metu profugis deſtructum fuit, à quo tempore Hieroſolyma Barbaris manſit, ac tandem Ptolemaide A. 1291. à Sultano Ægypti capta, finis bello ſacro impoſitus, & quidquid ſupererat Chriſtianorum, in Cyprum ejectum fuit, quod regnum veluti tabula quædam ex naufragio in Chriſtianorum poteſtate diu poſt manſit, donec A. 1479. extincta Regum Luſignanorum progenie ad Remp. Venetam devenirет, quibus eam Turcæ ſeculo poſt A. 1571. eripuerunt.

7. A. 1138. Imperium pervenit ad Duces Sueviæ ac in eorum familia ſtetit 108. annos. Primus fuit *Conradus* III. Lotharii Saxonis æmulus, cujus præcipuum opus Henrici Superbi everſio commemoratur. Is Henricus Superbus Guelphicæ factionis caput avito jure Bavariam: per conjugium, Saxoniam; armis, Vandaliam, Slaviam, & cunctas maris Balthici provincias poſſedit,

omnium regionum inter Rhenum, Danubium, ac Oceanum Germanicum Dominus. Ex tantis opibus ac potentia lapsus in superbiam, cum ipsum præ se imperatorum Conradum sperneret, ab eo proscriptus omnibusque spoliatus ditionibus fuit. Tum temporis *Alberto* Vrso Domino Sylvę Hercinię & Ballensteti, & fundatori Ducum Saxoniæ ac Principum Anhaltinorum Saxonia: *Leopoldo* Austriæ Marchioni, Bavaria, aliis alia ex naufragio Henrici Superbi accessere, neque quicquam posteris ejus præter solum Ducatum Brunsvicensem & Luneburgensem mansit. Conrado successit *Fridercus* I. *Barbarossa*, sive Ænobarbus, ludibrium Pontificiæ tyrannidis. Nam ab *Alexandro* III. excommunicatus & Guelphorum per Italiam rebellione vaxatus septies cum exercitu Italiam ingressus universam potestati suæ fortiter subjecit, Mediolanum funditus excidit, ac ad perpetuam sterilitatem locum, in quo steterat, sales consevit. Tandem cum Venetias obsideret eruptione captus filius ejus, quem ut redimeret, pacem cum *Alexandro Papa* fecit, cumque pedes ejus solito more oscularetur. superbus Pontifex conculcasse jacentis cervices dicitur cum hoc dicto, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & colla leonum conculcabis*, ad quod Imperator

or regessisse dicitur, *Non tibi sed Petro : Pa-a , Et mihi & Petro*. Hæc vulgaris tradi-o,quam picturæ in palatio Veneto repræ-entant. Alii factum negant, quorum potior idetur esse sententia. Non enim credibile usum fuisse Papam tam contemtim habe-e armatum Imperatorem, vel tantam con-umeliam laturos fuisse Germanos, qui n longè minori casu, cum legatus Pontifi-is superbius in comitiis Germanorum Prin-ipum loqueretur, parum abfuit, quin *Ot-o Wittelsbachius* Comes Palatinus stricto nse caput illi nebuloni amputarit. Qualem itæ exitum habuerit *Fridericus*, in bello sa-ro dictum. Ei successit filius *Henricus* VI. qui per conjugium cum *Constantia Rogerii* ilia *Gulielmi Siciliæ* Regis consobrina, *Sici-iæ* quoque Rex & *Apuliæ* Dux factus fuit, llasque provincias imperio in perpetuum conjunxit, hac conditione, ut illud heredita-rio jure permaneret in familia Ducum *Sue-viæ*. Ita Imperium publica lege hereditariũ actum, quod tamen cum morte *Henrici* VI. terum abolitum fuit. Quippe extincto *Hen-rico*, cum filius ejus *Fridericus* adhuc minor-ennis esset, grave in imperio schisma exor-tum fuit, divisa Principum in creando Im-peratore sententia. Quidam elegerant *Bar-holdum Zeringiæ* Ducem, qui imperio mox

enunciavit : alii *Ottonem* IV. Ducem Brunſvicenſem ex *Henrici* Superbi familia: alii *Philippum* Sueviæ Ducem, ac *Henrici* VI. fratrem. Duravit lamentabile hoc diſſidium per decennium, nec niſi morte *Philippi* extingui potuit, qui Bambergæ in ſuo cubicula ab *Ottone Wittelsbacenſe* Comite Palatino nefariè obtruncatus fuit. Ita A. 1207. ſolus *Otto* Imperator remanſit, qui, cum flagraret odio familiæ Suevicæ A. 1208. in Francofurtenſibus comitiis legem *Henrici* VI. de hereditaria imperii ſucceſſione his verbis antiquavit: *Nullus Imperator hereditarium jus in imperium prætendat. Principes ſex, tres eccleſiaſtici, tres ſeculares Imperatorem creanto, qui ſi diſcordes fuerint, Regem Bohemiæ tanquam arbitrum adhibento.* Atque hinc demum habemus certam Electorum originem, ac liberam Imperatorum electionem, quæ ab eo anno uſque ad noſtra tempora inviolatata permanſit. Sed *Papa R.* non diu quietum eſſe ſinebat *Ottonem* IV. Quippe hoc inter arcana Romani Pontificatus erat Imperatores perpetuis æmulis vexare, atque ita eos ſuarum rerum ſolicitos reddere, ut omnem de Italia cogitationem deponere cogerentur. Excitavit ergo *Ottoni* æmulum *Fridericum II. Henrici* VI filium, Siciliæ ac Neapolis Regem Ducemque

Sueviæ.

Sueviæ. Ita *Otto* ab omnibus desertus in Saxoniam sese recepit, ac suscepto contra Galliæ Regem *Philippum* Augustum bello, instructusque magnis ex Anglia subsidiis in Belgio profligatus, paulo post ex mærore animi decessit. Ita *Fridericus* II. diutissimè solus imperavit, sed non meliori fortuna quam majores ejus, Pontificum Romanorum perpetuus quasi scopus, in quem fulmina sua, execrationes irasque vibrarent. Ipse incredibili cum fortitudine tyrannidi eornm sese opposuit, Italiam gravissimè adflixit, ac ultimus fere Imperatorum in Oriente antiquam sustinuit majestatem, regno quoque Hierosolymitano, ut supra dictum, obtento, unde Reges Siciliæ, quales Hispani hodieque titulo regum Hierosolymitanorū utuntur. Sed eo duo fuerunt Anticæsares, *Henricus* Thuringiæ Landgravius, cognomine Rasbo & *Gulielmus* Hollandiæ Comes. Extincto A. 1520. *Friderico* II. *Conradus* IV. filius ejus per triennium titulotenus imperavit, atque eo quoque extincto, simulque *Wilhelmo Hollandiæ* Comite, cœpit memorabile illud 18. vel 23. annorum Interregnum.

8. Sequitur nunc magnum illud & celebre interregnum, quod alii 18. alii 23. annorum esse volunt. Diuturnum fuisse satis

conſtat, atque in eo ſumma imperii confuſio fuit. Quod enim Sancta Scriptura in ſimili occaſione dicit, *Non erat Rex in Iſrael, & quilibet faciebat, quod volebat*, idem de hoc interregno dici poteſt. Ablato, quod cuncta regeret, capite ac ſummo controverſiarum Judice, membra imperii inter ſe diſſentire, jus in armis ponere, ut penes illum optima cauſa eſſet qui fortior. Præcipuè illa calamitas incubuit civitatibus imperii per Sueviam, Alſatiam ac tractum Rhenenſem, quarum vacuam poſſeſſionem vicini ſive Principes ſive nobiles invaſerunt. Hac occaſione Germania arcibus montanis prædonum nidis impleta fuit, quorum uſque in hunc diem exſcindi reliquiæ non potuerunt, quanquam innumeræ paſſim per ſingulos ferè montes conſpiciantur ruinæ. Occaſionem hujus interregni excidium familiæ Suevicæ fuit. Quippe cum *Friderici* II. nepos *Conradinus* ſolus jam ex florentiſſima familia ſupereſſet legitimus regni Neapolitani hæres, quod Pontifex. R. tranſtulerat in *Carolum* Ducem Andegavenſem, repoſcens juſtis armis avitam hæreditatem in Italiam cum exercitu contra Tyrannum contendit. Prælio apud Aſturam commiſſo, victus *Conradinus*, ac poſt aliquot dierum in ignota regione errores, ad piſcatorem delatus

petere

petere ab eo trajectum, simulque preciosum offerre annulum emendo pani. Quo indice proditus, captusque ac intra annum à Tyranno capitis damnatus, & cum Friderico Austriæ Duce in publico urbis Neapolitani foro decollatus fuit A. 1268. jussu ac sententia *Papæ Clementis* IV cujus notum responsum est, *Mors* Conradini *vita* Caroli, *Mors* Caroli *vita* Conradini. Hoc ante illos dies inauditum parricidium toti Europæ: magnam attulit mutationem ac inprimis Galliæ & Germaniæ funestum fuit. Quippe in ferali jam pegmate constitutus *Conradinus*, projectâ chirotheca fidei ac pietatis pignore, cum dexteram tradere non posset *Iacobum* Aragoniæ Regem regni Siculi ac Neapolitani hæredem suæque mortis vindicem instituit. Factū quod jusserat, & Petrus Jacobi successor A. 1283. secreta conspiratione una hora omnes per Siciliam Gallo obtruncavit, ac *Siculis* vesperis memorabile nomen dedit. Ita momento Sicilia potitus, Tyrannum cum perfidis suis Gallis ferro ac igne passim persecutus fuit, ac dignam *Conradino* ultionem cepit. Interea per Germaniam reperiri non potuit Princeps, cujus animus molis imperii capax esset, extincta frequentibus in Palæstinam expeditionibus præcipua nobilitate. Igitur indigno Ger-

manica majeſtate conſilio contra ſanctiſsimam *Ottonis* III. conſtitutionem itum ad exteros fuit, magis factionum ſtudiis, quam quod ullus imperio futurus utilis eſſet. Diviſi Electores aliqui *Richardum* Cornubiæ comitem, *Henrici* III. Angliæ Regis fratrem, alii *Alphonſum* X. Regem Caſtiliæ elegerunt. *Richardus* conſumpta ingenti pecunia cum, quod daret, amplius non haberet, inglorius in Angliam rediit, atque ibi paulo poſt in bello interfectus fuit. *Alphonſus* deſerto proprio, quod ampliſſimum, regno, dum incertum more Æſopici canis ſectatur ſplendorem, & ſpe ſua fruſtratus, & à *Sanctio* filio Caſtilia in reditu excluſus fuit, in opemque vitam tantus modo Rex in exiguo Murciæ angulo concluſit. Tandem poſt tot anno Principes imperii ex negligentiæ ſuæ veterno excitati, de capite iterũ conſultare cœperunt, ac ingentibus docti cladibus cognoverunt non reſpiciendam eſſe in creando Imperatore potentiam, neque divitias, neque familiam, ſed ſolam virtutem ac fortitudinem confractam ferè imperii navem ex tot tempeſtatibus in portum pacis ac quietis deducere poſſe. Creatus ergo præter omnem opinionem fuit *Rudolphus* pauper Comes Habſpurgenſis, ac qui hactenus *Ottocari* Bohemiæ Regis Comes ſtabuli ſive Magiſter Equitum fuerat.

PERIO-

PERIODUS SECUNDA.

RUDOLPHUS *Habſpurgenſis Imperatoriam Auſtriæ domum fundat.*

I. RVdolphus Comes Habſpurgenſis Principum ſui temporis prudentiſſimus ac fortiſſimus extincta Suevorum familia, imperii decus *Auſtriacæ* domui primus intulit. A prima juventute ſummam de ſe ſpem in aula *Friderici* II. præbuit, ut advenienti tota adſurgeret, quanquam tenui fortunâ, nobilitas. Gerebat is eo tempore in Helvetia bellum ac ipſam obſidebat Baſileam, cum nuncius affertur creatum Imperatorem. Non credere primo *Rudolphus*, ſuæ ſibi tenuitatis conſcius. Interea Baſileenſes hoc intellecto, legatos ſuos ſimul in caſtra mittere, gratulari imperium,n ec jam hoſtem ſed Dominum appellare Rudolphum. Ita momento finitum bellum, & ipſe novus Imperator totius imperii longo hoc interregno turbatiſſimi, curam ſuſcipere, Publicata tum temporis generalis amneſtia, quia tot controverſiarum alius non poterat reperiri finis, & omnes per Germaniam etiam capitis rei liberi dimiſſi fuerunt A. C. 1273. Gravem æmulum *Rudolphus* habuit

in *Ottogaro* Bohemorum Rege, cujus tanta erat potentia, ut ab Italiæ finibus & Hadriatico mari uſque in Pruſſiam, (ubi urbem Konigsbergam vel Regiomontum condidit) & mare Balthicum dominaretur. Cauſa diſſidii, præter invidiam Ducatus Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ fuit. Has provincias *Ottogarus* jure uxoriæ ſuæ Margarethæ poſſidebat, cumque eam repudiaſſet, Ordines imperii judicarunt, eum quoque jure in has provincias excidiſſe, eaſque tanquam feudum ad imperium relapſas. Nihilominus durante interregno *Ottogarum* de violenta earum poſſeſſione nemo deturbare vel potuit vel auſus fuit. *Rudolphus* videns ſibi ad imperium promoto non ſufficere anguſtiſſimum comitatum Habspurgenſem prætendere tanquam Imperator in Auſtriam jus, ac evocare ad juramentum fidelitatis præſtandum *Ottogarum*. Ille primo abnuere, deinde coactus armis Auſtriam tanquam feudum à Rudolpho ſuſcipere, ſed hac conditione, ut intra tentorium procul à conſpectu hominum juramentum præſtaret. Tentorium ea confectum erat arte, ut momento ductu funis collaberetur. Cum ergo *Ottogarus* coram *Rudolpho* in genua procubuiſſet, repente collapſo tentorio omnium oculis ac ludibrio expoſitus fuit. Tanta injuria

juria altè *Ottogari* animum penetravit. Sed ſupra omnia Cunigundæ uxoris contumelioſa oratione irritatus fuit, quæ impotens animi, Hæccine, inquit, nobis ſpolia, hanc belli adoream refers? Dediti omnes hodie tua opera veluti mancipia, velut pecudes ſumus. *Regina* Provinciarum Bohemia tributaria facta. Cum te olim ſuperaſſe prælio *Tartaros*, exuiſſe caſtris Hungaros, Styriam armis adeptum, Italiam cum èxèrcitu penetraſſe audiveram, felicem me, quæ tali nupſiſſem viro; Patrem, qui me regi tam magnanimo tradidiſſet, ſapientem exiſtimabam, neque reginam eſſe toto orbe, cui me cedere oporteret. Et poſt multas alias in maritum contumelias, tandem, Age, inquit, ſi tibi animus virilis deeſt, neque gladios intueri potes, ſine me regem eſſe. Experiar profecto Bohemis an teutonibus imperium debeatur. Ita *Ottogarus* bellum denunciat *Rudolpho*, ac prælium in Auſtria commiſſum: cæſa Bohemorum 14000. ac ipſe *Ottogarus* letaliter vulneratus paulo poſt obiit Anno 1278. Ita Auſtria, Styria, Carinthia, Carniola ad Comites Habsburgenſes pervenêre, deditque eas provincias Alberto filio ſuo conditori Archiducum Auſtriæ Regumque Hiſpaniæ *Rudolphus*. Inter arcana regiminis ſui habuit non ingredi Ita-

liam adhibito illo Æſopi, *quia me veſtigia terrent.*

II. Poſt mortem *Rudolphi* creatus Imperator *Adolphus Naſſovii* Comes multum indignante Alberto Auſtriæ, Princeps inquies & injuſtus, qui accepta ab *Eduardo* III. Anglorum Rege ingenti pecunia, ut ei contra Regem Galliæ opem ferret, ea Landgraviatum Thuringiæ & Marchiam Miſniæ ab Alberto iniquiſſimè emit, ac duos Alberti filios Dieteri cum & *Fridericum* Admorſum, quos Pater nullam ob juſtam cauſam exheredarat, pertinaci bello perſequebatur. Hæc violenta in Thuringiam contra innocentiſſimos Principes expeditio totam Germaniam *Adolpho* abalienavit ſuggerente varia odii argumenta Alberto Auſtrio; Ita bellum: ac electus contra *Adolphum Albertus.* Prælium mox commiſſum prope Wormaciam ad Rhenum, in quo ipſe *Adolphus* manu *Alberti* confoſſus fuit, A. 1298. Julii 14. ea ipſa die qua poſt 300. annos Mauricius Naſſovius victo ad Nieuportam in Flandria Alberto Auſtrio vindictam hujus necis iterum exegit.

III. Ita Imperium denuo ad Auſtrios tranſlatum per Albertum, qui A. 1307. à *Johanne* Duce Sueviæ patruele ſuo prope Baſileam obtruncatus fuit.

IV. A.

IV. A. 1308. *Henricus* VII. Comes Luzelburgensis ad imperium pervenit contra voluntatem Regis Galliæ, qui eo tempore consilia agitabat transferendi ex Germania in Galliam propter duas rationes, tum quod sedes Pontificum Romanorum Avenione in Gallia esset, tum quod imperii dignitas adeò apud Germanos collaberetur, ut contemptibiles fortunæ Comites ad Imperium pervenirent. Hæc consilia necessitatem imposuerunt Principibus, ut festinanter eligerent *Henr.* VII. Comitem Luzelburgensem magnæ virtutis Principem, qui pacata Germania ultimus Imperatorum Italiam perdomuit, ac Florentiam, in qua plus quam 100000 *Guelphorum*, expugnavit. Hinc Papa R. exitium ejus quovis modo quærere, ac cum pervenisset Bonconventum in vicinia urbis Pisanæ à Monacho quodam venenum ipsi in sacra hostia porrectum fuit. Cumque Medici ei Antitoxica pararent, abnuit, ne salvatorem suum intra corpus, ut putabat, receptum turbaret vel expelleret. Ita A. 1313. Pisis obiit.

V. Post mortem *Henrici* gravia in creando Imperatore per Germaniam orta sunt dissidia. Quippe divisi Electores Moguntinus, Trevirensis, Bohemus, & Brandeburgensis *Ludovicum Ducem Bavariæ.* Comes Palati-

Palatinus, Colonienſis & Saxo *Fridericum Pulchrum* Ducem Auſtriæ elegerunt. Hinc graviſſimum tota Germania bellum, ac ea occaſione diſſidium illud inter Comites *Palatinos* ac Duces Bavariæ cœpit, quod in hunc uſque diem durat. Quippe *Ludovicus* fratrem ſuum majorem *Rudolphum* Electorem Palatinum, quod is *Fridericum Auſtrium* elegiſſet, omnibus ditionibus exutum in Angliam fugere compulit, ubi paulo poſt in exilio obiit. Hæc diſtractio duravit uſque ad A. 1323. quo *Fridericus* apud *Mildorffam* in Bavaria captus fuit, ac in carcere aliquot annis detentus tandem ſolo Imperatoris titulo retento omnem poteſtatem *Ludovico* ceſſit. Pacata Germania Pontifices Romani *Ludovicum* excommunicare, atque ipſum non mitius quam *Fridericum* I. vel II. tractare, quæ controverſia inprimis illuſtris fuit, ac prodierunt ejus ſeculi maxima ingenia *Wichelmus Ockam* Anglus, *Marſilius Patavinus* Italus, & alii, qui poteſtatem Imperatoris contra *Papam* præclarè defenderunt. *Occaſio* hujus litis inter *Iohannem* XXII. & *Ludovicum* IV. valde levis fuiſſe dicitur. Erat *Ludovico* à ſecretis quidam *Vlricus Auguſtanus*, qui in quibuſdam literis *Papam* appellaverat *Beſtiam*; In publicis comitiis Francofurti ſtatutum, Pontfici R. nul-

R. nullum jus competere in Imperatorem: ejus excommunicationem non curandam, concilium esse supra Papam, consensum *Papæ* ad creandum Imperatorum non esse necessarium. Nihilominus *Clemens* VI. *Papa Ludovicum* denuo excommunicavit, ac id suis artibus effecit, ut *Carolus* IV. *Rex* Bohemiæ Imperator crearetur. Paulo post *Ludovicus* ab uxore sua intoxicatus cum veneni vim venando discutere vellet, repente equo delapsus extinctusque est.

VI. Post obitum *Ludovici* magna per Germaniam aliquandiu confusio fuit & tres ordine *Cæsares* contra *Carolum* IV. electi. Primo quidam *Edoardus* III. Angliæ Rex, qui occupatus bello Gallico electoribus gratias egit: deinde *Fridericus Severus* Marchio Misniæ, qui accepta à *Carolo* pecunia jus suum persequi destitit, denique *Guntherus Comes Swartzenburgicus*, qui magno Francofurtum adducto exercitu, expectare ibi Carolum, ac ut moris, cum eo de imperio concertare constituit. Carolus non confisus vel causæ suæ vel viribus dolo Guntherum petiit, ac corrupto medico ejus venenum ipsi propinavit, cujus violentiam cum sentiret, accepta à *Carolo* pecunia & aliquot oppidis, in Thuringiam reversus est, ac paulo post obiit. Ita omnibus æmulis sub-

latis

latis solus *Carolus* IV. Imperator mansit.

PERIODUS TERTIA.

CAROLUS IV. *eum in imperio Ordinem instituit, qui hodieque obtinet.*

I. ANno 1356. In libro qui appellatur Aurea Bulla, quæ est lex Imperii Romano-Germanici fundamentalis, à *Carolo* IV. Imperatore cum Electorum, Principum atque Ordinum consensu rogata ac promulgata 4. Id. Jan. A. 1356. Dicitur Aurea bulla ab aureo Imperatoris sigillo, quod appensum habet. Nam Bulla recentiori vocabulo sigillum publicis literis appensum significat. Eo in libro omnia continentur quæ ad ordinem ac statum Imperii pertinent, ac novus Imperator solenni juramento in eam jurare cogitur, tantaque ejus est authoritas, ut mutari & abrogari ab Imperatore ne quidem cum Electorum consensu possit. Occasio ejus condendæ fuerunt frequentes Principum tum in creando Imperatore, tum in aliis ad Imperium pertinentibus rebus dissensiones, quæ à tempore *Henrici* IV. perpetuo Germaniam adflixerant. His incommodis ut non in præsens tantum, verum etiam in futurum mederetur *Carolus* IV. omnibus ejusmodi controversiis perpetua ac im-

ac immutabili lege finem imposuit. Ac tum temporis numerus Electorum septenarius constitutus fuit, cum hactenus confuse, modo plures modo pauciores, potestatem creandi Imperatoris vel habuissent vel usurpassent. Statutum quoque ad impediendam hereditariam successionem, ne tres continui Imperatores ex una eademque familia legerentur. In hac ergo secunda periodo Imperium merè electivum; atque etiam *Aristocratia* temperari cæpit. Nam quod Bodinus probare conatur Imperium Germanicum esse merè *Aristocraticum*, & quod alii merè Monarchicum faciunt, vehementer errant, cum clarissimum sit jura majestatis, ex quibus de statu judicandum est, inter Imperatorem & Electores aliosque Ordines divisa esse. Nam ultima appellatio terminatur non apud Imperatorem, vel ejus Consilium aulicum, sed in Camera Spirensi, quæ totius Imperii tribunal est, idque duravit inde usque à temporibus Imperatoris *Maximiliani* I. qui fundavit curiam sive Cameram Spirensem, eamque constituit non communicativè sed abdicativè, quemadmodum alia multa privilegia indulsit Principibus, quibus seipsum spoliavit. Ita potestas quoque condendi leges, semelque latas iterum abrogandi non est penes solum Imperato-

rem,

rem, sed penes totum Imperium. Tanta verò Cameræ hujus est authoritas, ut à revisoribus ad Imperatorem non detur provocatio neque gravatis in Camera liceat recurrere ad Imperatorem. Nihilominus Imperator habet concurrentem jurisdictionem cum camera. Præterea conventus publici ad comitia non indicuntur à solo Imperatore, neque jus pacis aut belli aut federum aut religionis soli competit Imperatori, sed communia Ordinum omniumque statuum sunt, nec solus Imperator de capite Principis judicare potest. Sic jus monetæ ad omnes imperii status transiit, ac jus vectigalium & tributorum penes eosdem est, ut nullum jam sit dubium, quin in Germania *Aristocratiam* habeamus. Nihilominus Imperator peculiaria quoque majestatis jura sibi reservavit, quæ solus sine consensu Ordinum exercere potest. Ita solus Imperator potest conferre feuda regalia, Principes, Comites ac Reges creare, Academias erigere: solus caput imperii est, cui omnes Principes fidelitatem & obsequium jurant. Habemus ergo Monarchiam quoque. De eo nunc quæritur, Quænam forma præponderet? Aliqui nam prævalere volunt Aristocratiam, aliqui Monarchiam. In priore sententia est Arnisæus, quæ etiam potioribus nititur rationi-

rationibus, propterea quod potiora majeſtatis jura penes totum Imperium ſint, minora penes ſolum Imperatorem.

2. *Carolus* IV. cum Bohemiæ ſuæ illuſtrandæ intentus eſſet, potiora Imperii vectigalia abalienavit, quæ Principes ad ſeſe pertraxerunt, unde paſsim apud ſcriptores malè audit: eumque *Maximilianus* I. peſtem imperii appellare ſolitus fuit. Promoturus filium ſuum Wenceſlaum cuilibet Electorum 100000 flor. promiſit. Cumque ſolvendo non eſſet, iiſdem telonia maximè ad Rhenum oppignoravit, quæ in hunc uſque diem extorquere ipſis Imperatores non potuerunt. Quippe Electores antequam Imperatorem novum admittant, jurare eum cogunt, ratum habiturum omnes donationes ac conceſſiones anteceſſorum ſuorum.

3. *Carolo* IV. ſucceſsit Wenceſlaus cognomine Ignavus, qui Veteres Caligulas, *Nerones* aliaque portenta peſſimis moribus, ac tyrannide ſua renovavit. Princeps profligatiſsimæ vitæ & alter ſeculi ſui Gallienus imperii curam adeò neglexit, ut tandem, cũ nullis admonitionibus corrigeretur, Electores ipſum velut indignum & noxium deponerent, omneſque Imperii Ordines ab ejus fide & obedientia abſolverent. Maximum Imperio damnum intulit quod Ducatum

Medio-

Mediolanenſem, aliaſque Imperii Provincias vendiderit. Unde ab eo tempore tota Italia exempta eſſe cæpit, neque quiſquam Imperatorum impoſterum curavit eam imperio recuperare.

4. Contra Wenceſlaum creatus fuit *Fridericus* Dux Brunſvicenſis, qui cum Francofurtum properaret, in via Archiepiſcopi Moguntini inſidiis per Comitem *Mansfeldiæ* obtruncatus fuit. In ejus locum ſuffectus A. 1400. Rupertus Elector *Palatinus*, cui vulgò per errorem cognomen Parvi tribuunt. Verum enim ejus cognomen fuit voce Germanica *Klem*, id eſt, rigidus vel parcus, ex quo alii per errorem fecerunt *Klein*, ſeu parvus. Conabatur is ducto in Italiam exercitu amiſſas ſub Wenceſlao provincias recuperare, ſed nullo cum ſucceſſu. Ei ſucceſſit A. 1410. Jodocus Moraviæ Marchio, patruus Wenceſlai, qui cum jam octogenarius eſſet 6. Imperii menſe extinctus fuit.

5. A. 1411. Imperator creatus fuit *Sigiſmundus* Hungariæ Rex, ſub quo Imperium graviter fuit commotum armis *Hußiticis*, pręterea diuturno Pontificum Romanorum ſchiſmate. Ac ſchiſma quidem in Concilio Conſtantienſi ſublatum fuit: Huſſitarum autem controverſiæ in Concilio Con-

ſtan-

tantiensi haudquaquam componi potuerunt. Cum ergo contra fidem datam combusti fuissent *Ioh*. Huss, & *Hieronymus* Pragensis, Bohemi Duce *Ioh. Zisca* gravissimam mortis eorum ultionem ceperunt, interfectis passim, quoscunque deprehendebant, Monachis ac sacerdotibus, cænobiis templisque eversis. Præcipue pugnarunt Hussitæ pro usu Calicis in S.C. unde passim per omnia templa, urbes ac pagos ingentes calices tanquam insignia sua proposuerunt, ac propterea quoque Calixtini sive sub utraque specie appellati sunt. Et quanquam tota Germania totusque Occidens contra eos conjuraret, ac passim Crux tanquam contra Turcas prædicaretur, ipsi tamen admirabili rerum suarum successu contra omnes exercitus usi fuerunt, ac nemo sustinere conspectum eorum potuit, ita ut ingentes exercitus velut panico terrore, audito tantum eorum nomine in fugam verterentur. Post mortem Ziscæ divisi in duas factiones Hussitæ, quorum una Ducem sibi creavit Procopium Magnum, alterum nullum inveniri posse dictitans, qui jure Ziscæ succederet, se *Orphanos* appellavere. Hæc dissidia multum nocuerunt ipsorum causę. Penitus tamen extingui ab eo tempore usque ad A.C. 1630. non potuerunt.

6. *Sigis-*

6. *Sigismundo* succeſsit *Albertus* II. Dux Auſtriæ, Rex Bohemiæ & Hungariæ, à quo tempore imperium per 200. amplius annos in familia Auſtriaca perduravit. Defuncto intra biennium *Alberto* ſucceſsit *Fridericus* III. qui diutiſsime imperio præfuit, Princeps tota vita pacificus, ſed imperii negligentiſſimus. Ejus tempore A. 1453. Conſtantinopolis altera Imperii Romani per Orientem regia à Turcis capta fuit. Ejus filius fuit *Maximilianus* I. qui Burgundicam domum cum Auſtriaca matrimonio junxit, ex quo prognatus *Philippus* *Caroli* V. & *Ferdinandi* I. Imperatorum Pater, conditor Hiſpaniæ Regum atque Archiducum Auſtriæ.

7. A. 1516. *Carolus* V. Rex Hiſpaniæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ Imperator creatus fuit, ſub quo Imperium Germanicum ad eam adſcendit potentiam, ut cum antiquiſsimis Imperatoribus certare potuerit. Sub eo exortum illud in Eccleſia & Imperio propter religionem diſsidium fuit, cui occaſionem præbuit *Albertus Marchio* Brandeburgenſis, Monguntinus Archi-Epiſcopus. Cum enim is ad redimendum in curia Romana pallium ingenti opus haberet pecunia, indulgentias Monacho cuidam *Iohanni Tezelio* in ſummum religionis Chri-

ſtianę

stianæ contemptum divendendas commisit. Huic insolentiæ primus sese opposuit apud Saxones M. Lutherus Monachus *Augustinianus*: ac cum plausibilis contra indulgentias disputatio esset, multi statim Principum ac civitatum & magna populi pars ei favere cæpit, & religionis reformandæ studio, & quod potentia *Caroli* V. ipsis suspecta esset. Capita fuerunt *Ioh. Fridericus* Elector Saxoniæ & Philippus Landgravius Hassiæ. Cumque in comitiis Imperii pluralitate suffragiorum controversiæ deciderentur, ac plures omnino contra Lutherum conjurarent Episcopi, Principesque, altera pars numero minor protestatur contra eorum decreta, unde *Protestantium* nomen illis impositum, *Carolus* V. summo conabatur studio gliscenti indies factioni occurrere, jam tum prævidens oriturum aliquando ex diversis in religione opinionibus gravissimum ac imperio perniciabile dissidium. Plurima habebantur in eam rem comitia, ex quibus maxima fuerunt Augustę Vindelicorum A. 1530. ubi Protestantes fidei suæ confessionem exhibuerunt, quæ Confessio Augustana, ejusque sectatores Augustanæ Confessionis socii appellati fuerunt. Interea prætextu religionis variæ passim exortæ hæreses. Thomas Muncerus rusticum

rusticum bellum A. 1525. concitavit. Successerunt Anabaptistæ, qui anno 1534. clandestina conspiratione plerasque urbes Belgicas & Westphalicas occupare conabantur, ac negocium ipsis Monasterii successit, quam urbem novi regni sui, quod regnum Christi, Davidis, Sionis, sanctorum appellabant, sedem ac regiam constituerunt. Creatus fuit Rex *Ioh. Bocold* sartor Leidensis, ac nisi Deus singulari providentia sua desperatissimis consiliis ipsorum frenos imposuisset, totum destruxissent immani barbarie imperium. Post has turbas incendium civilis belli inter Cæsarem Carolum ac Principes Protestantes erupit A. 1547. in quo superior *Carolus Iohannem Fridericum* Saxoniæ Electorem ac Philippum Hassiæ Landgravium captos in potestatem suam redegit, ac protestantes imperii Ordines terrore armorum suorum vel coëgit renunciare confessioni Augustanæ, vel librum *Interim* recipere. Ita enim appellabatur formula illa fidei, quam Imperator omnibus interim sequendam proponebat, donec Concilium tollendo dissidio cogi posset. Quod cum lentè succederet, Protestantes respirare cæperunt, ac *Mauricio Saxonum* Electore duce creato, Cæsarem *Carolum* improviso oppresserunt, tota Germania expulerunt, captivos

otivos dimittere Principes coëgerunt, ac tum tempotis condita fuit A. 1547. transactio Passaviensis, in qua perpetuo edicto stabilitur plena libertas utriusque in Germania religionis Romano-Catholicæ & Confeſsionis Auguſtanæ.

8. Ita in duas ſciſſa Germania & tota ferè Europa fuit factiones. Sed ipſi Euangelici incredibili cauſæ detrimento inter ſe diſſentire cæperunt. Primum ab Helvetia cæpit initium, ac de Cœna Domini Uldericus *Zwinglius* & *Lutherus* diſſentire cæperunt, inter quos concordia coire nulla ratione potuit. Quanquam in conventu Marpurgenſi A. 1529. lis ad tempus ſopita videretur. Deinde poſt obitum Lutheri cum Phil. *Melanchthon* paulo mitius loqueretur, ac pacem Eccleſiæ quovis modo quæreret, exarſit in eum *Matthias Flaccius* Illyricus. Sed ne *Flacciani* quidem diu concordes manſerunt. Quippe in gravem delapſus fuerat errorem Flaccius aſſerendo, *peccatum eſſe ipſam hominis ſubſtantiam*, quæ Manichæorum hæreſis fuit. Ex hoc diſsidio A. 1560. novum ſchiſma inter Euangelicos natum. Occaſionem præbuerunt Joh. *Marbachius* & *Hieronymus Zanchius*, qui cum ſimul docerent Euangelium Argentorati, diſſentire de quibuſdam capitibus, ac,

ut plerumque in disputationibus fieri solet, magis magisque distrahere auditorum suorum animos. Eo demum tempore audita fuerunt *Calvinianorum* & *Lutheranorum* nomina, ac de duobus præcipue articulis odio implacabili disputatum, divina prædestinatione & *ubiquitate* corporis *Christi*. Pręcipua tanti schismatis fax fuit *Ioh. Andreæ Schmidlinus* Theologus Wirtembergensis, qui tandem procudit librum *Concordiæ*, ex quo velut equo Trojano longe acriora Theologorum odia provenerant. Principes omni ratione conabantur hanc Euangelicorum discordiam componere. Sed is Theologorum utriusque partis zelus, fervor, ac obstinatio fuit, ut nihil æqui impetrari posset. Sese ergò mutuò atrocissimis calumniis, damnationibus, exsecrationibus divexarunt, quasi absolute impossibile esset has controversias componere vel mutuo tolerare. Ita Germaniam in tres habemus factiones divisam, *Romano*-Catholicos, *Lutheranos*, & *Calvinianos* seu Reformatos. Illorum caput est Elector *Saxoniæ*, horum Elector *Palatinus*, quos cæteri Principes quisque suo ordine sequuntur: reliqui subsunt imperio Papæ.

9. A. 1612. Germania in quas denuò partes divisa fuit, *Liguam* & *Vnionem*. Ligua com-

gua complectabatur Principes Papisto-Catholicos. Unio *Euangelicos*. Inde A. 1618. natum fuit bellum *Bohemicum*, quod repente totam quam late patet, Germaniam miserabili ruina involvit. Renovati quidem conatus de syncretismo ac mutua tolerantia inter Euangelicos constituenda, præcipuis authoribus Rege Angliæ & Daniæ, ac habitum quoque in eam rem *Thoruni* fuit colloquium, sed Theologorum iræ nondum deferbuerant, atque illis nolentibus frustra tantæ rei: successus sperabatur.

QUARTA PERIODUS.

Pax Monasteriensis *Imperii statum immutavit.*

1. QUoniam Rex *Galliæ* & *Sueciæ* magnam Germaniæ partem occuparunt, ille *Alsatiam*, hic *Pomeraniam*, Episcopatum *Bremensam* & *Verdensem*.

2. Quoniam *Septenarius* Electorum numerus auctus addito octavo, titulo Archi-*Thesaurarii*. Cætera in recenti memoria sunt.

DE ELECTORIBUS.

Electores alii sunt Ecclesiastici, *alii* seculares.

FRidericus II. dicere solitus fuit; Caput Orbis extulit Ecclesiam, & Caput Ecclesiæ conculcavit caput Orbis. Pontifices Romani sexto demum seculo obtinuerunt primatum in Ecclesia cum hactenus tantum habiti fuissent Episcopi Romani. Seculo IX. attentare, ac primò in *controversiam*, mox in *compromissum* mittere cæperunt potestatem temporalem quam Pontifex Romanus tanquam *caput Ecclesiæ sibi* non in spiritualibus modo, verum etiam in temporalibus vendicabat summum jus, de qua controversia supra dictum in *Frid.* I. Barbarossa. Ex hoc fonte fluxit secularis *Episcoporum* potestas, ac propterea tres in Imperio Electores Ecclesiastici, tres temporales: sed *Ecclesiastici* præcedunt, ut intelligatur Pontificis potestatem majorem esse potestate Imperii. Ex eodem fonte fluxit controversia de *Investitura* Episcoporum, quam Pontifex *Henrico* V. Imperatori extorsit, sed in Gallia usque in hunc diem propter pragmaticam sanctionem ab ipso *Ludovico* S. latam obtinere non potuit.

II. Mo-

II.

Moguntinus *Collegii Electorum* Decanus, *ac Germaniæ* Archi-*Cancellarius*: Colonienſis *Archi-Cancellarius Italiæ*; Trevirenſis *Archi-Cancellarius Galliæ eſt.*

Hinc patet ſolum Electorum Moguntinum ſolida frui poteſtate. Nam quid Italia & Gallia facit ad Imperium & an non tituli illi mera antiquæ potentiæ rudera ſunt? Moguntini ergo ſumma per Imperium Germanicum poteſtas eſt. Qui perpetuus collegii Electoralis præſes convocandi, *præſidendi*, *proponendi*, ac *concludendi* poteſtatem habet.

III.

Electores temporales IV. *Rex Bohemiæ Archipincerna*, *Comes* Palatinus *Archidapifer*, *Dux* Saxoniæ *Enſifer ſive Archimarſchallus*, *Marchio Brandeburgicus Archi-Camerarius & recens* Palatinus *Rheni Architheſaurius.*

Dignitas Electoralis denotatur officiis quibuſdam quæ Imperatori præſtare Electo-

res tenentur, eaque consuetudo admodum antiqua fuit, quemadmodum pater ex *Ligurino*, qui tempore Friderici Barbarossæ vixit, & Petro de *Antlo*, in quem extant commentaria Marquardi Freheri. Hodie octavum inventum munus Archi-Thesaurarii, quod Electori Palatino, cujus locum Bavarus invasit, in compensationem oblatum fuit.

IV.

Rex Bohemiæ *perpetuum habet suffragium.*

Quod notandum contra eos, qui non nisi in causa parium votorum, hujus privilegii usum adscribunt Regi Bohemiæ, quasi superpondii loco tribus Ecclesiasticis & tribus secularibus additus fuisset Bohemiæ Rex: Quod planè falsum est. Nam Rex Bohemiæ primum inter seculares & locum & suffragium habet, idque eo maxime tempore quo Domus Austriaca regno Bohemiæ potita est, quorum aliquot sibi ipsis tanquam Electores suffragium dederunt.. Nota est controversia inter *Vladislaum* Regem Bohemiæ & *Maximilianum* I. Imperatorem. Cum enim præteritus fuisset *Vladislaus*, infensè protestatus contra injuriam,

riam, arma minitabatur imperio, nisi jus Electionis Bohemiæ Regibus imposterum intactum inviolatumque relinqueretur.

V.

Comes Palatinus *ab aliquot retro seculis primum inter Principes* Electores *locum obtinuit.*

De hoc acerrima controversia exorta fuit jam à centum quinquaginta retro annis inter Domum *Bavaricam* & Domum *Palatinam*. Origo ejus rei ita sese habet. Comites Palatini jam tempore Friderici Barbarossæ electionis jus obtinuerunt. Postea iidem obtinuerunt Ducatum *Bavariæ*. Hinc mota quæstio an propter Ducatum Bavariæ, an propter Comitatum Palatinum obtinuerint jus electionis in imperio Controversia hæc decisa fuit in Aurea Bulla, in qua Electoratus perpetuo jure annexus fuit. Comitatui Palatino. *Bavari* propter veterem æmulationem obscurè controversiam moverunt sub *Maxim.* I. *Carolo* V. & sequentibus Imperatoribus, sed nihil unquam obtinuerunt, ac ne ausi quidem fuerunt publicè causam suam asserere usque ad tempora belli Bohemici, ubi *Gewololdus* quidam impuden-

dentiſſime contra Auream Bullam tanquam *gratio* erga Palatinos ac *præjudicio* erga Bavaros conditam diſputare cæpit, quem Marquardus *Freherus* confutavit. Tandem Dux Bavariæ, pulſo in exilium *Friderico*, quod Majores ejus dudum ambiverant, electionis jus & petiit & impetravit, obnoxiis Saxone & Brandenburgico, & repugnare non auſis. Controverſia integris voluminibus diſceptata, nec componi potuit, niſi Palatinus locum inter Electores obtineret.

VI.

Comites Aſcaniæ *duas familias Electorales* Brandeburgicam *&* Saxonicam *condiderunt.*

Circa A. C. 1123. *Albertus* Urſus Comes Aſcaniæ à *Friderico* Barbaroſſa inauguratus fuit *Marchio* Brandeburgenſis, quæ ditiones, *Primiſlao Rege* Vandalorum, Slavorum & Henetorum defuncto, vacabant

VI.

Electores Saxoniæ *à* Bernhardo *Alberti Ursi filio descendunt.*

Ab usque A. C. 1180. hac familia Ascaniorum A. 1422. extincta Electoratus Saxoniæ ad *Fridericum* bellicosum Marchionem Misniæ ab Imperatore Sigismundo A. 1422. translatus est, cujus nepotes *Ernestus* atque *Albertus* patrias ditiones ita diviserunt, ut *Ernestus* Electoratum cum Saxonia & Thuringia, *Albertus* Misniam obtineret. Inter has fratrum familias, quod fieri plerumque solet, occulta intercesserunt odia. Nam cum *Ioh. Fridericus* Elector Saxoniæ Lutherum defenderet, *Georgius* patruus ejus acerrime Lutherum oppugnavit. Sed defuncto absque prole Georgio A. 1535. Misnia ad fratrem ejus *Henricum* Lutheri sectatorem pervenit, quo brevi defuncto successit filius *Mauricius*, Princeps Magnanimus ac religiosus, sed juventa ac ambitione fervidus. Cui cum inter ludendum rixæ contra Johannem *Fridericum* Electorem Saxoniæ exortæ fuissent, adeo componi illa consanguineorum odia non potuerunt, quin alter in alterius perniciem serio animum

intenderet. Paulo poſt bellum *Smalcaldicum* exortum, in quo ſtudia eorum aperte diviſa. Quippe *Mauricius* partes Caroli V. defendebat, & abſque eo fuiſſet, vix humanitus emergere *Carolus* potuiſſet. *Mauricius* debellato *Friderico* Electoratum Saxoniæ quocunque jure obtinuit. Cedere ſuo jure coactus *Fridericus* captivus, ac niſi id faceret, capitis condemnatus. Ex ejus poſteritate hodieque ſuperſunt Duces *Vinarienſes.* Mauritius nihilominus egregium ſeſe præſtitit Principem, & religionis ac libertatis Germanicæ Palladium tranſactionem *Paſſavienſem* ſua magnanimitate peperit, pulſo Germania Carolo, ut ſupra dictum. Ejus poſteri hodieque Electoratu Saxoniæ fruuntur.

VIII.

Ab Ottone *altero Alberti Urſi filio deſcendunt* Electores & Marchiones *Brandeburgici.*

A.C. 1169. Ultimus ex hac familia fuit *Woldemarus* II. qui A. 1322. defunctus, cum frater *Iohannem* decima quarta poſt ejus obitum die ipſius fata ſequeretur, Marchiam Brandeburgenſem in magnas turbas conjecit, nulla jam ſuperſtite hærede, obnoxiam

noxiam ſeu invaſioni externæ, ſeu Imperatorum libidini. *Ludovicus Bavarus* eo tempore imperabat intentus in omnes domus ſuæ augendæ occaſiones qui vacuam poſſeſſore Marchiam filio ſuo *Ludovico Seniori* in feudum attribuit, tanta cum invidia vicinorum Principum, ut magnis novum illum Electorem bellis impeterent, præcipue quicunque ex Aſcania ſupererant Saxoniæ Duces ac Principes Anhaltini. Tandem ſubornarunt molitorem quendam nomine *Iohannem Reebock*, qui ſe Woldemarum dudum defunctum mentiebatur, habitu corporis ei adeo ſimilis, ut paſſim pro vero Woldemaro haberetur. Non ignorabant quidem Principes dolum, ſed odium contra *Ludovicum Bavarum* prævalebat, ut malle ad Electoratum promovere Molitorem, quam exoſum ſibi Principem tolerare. Inter has turbas extincto *Ludovico Seniore* Marchia ad *Ludovicum Romanum* fratrem ejus pervenit, qui pulſo Marchia Molitore Electoratum fratri ſuo *Ottoni* tranſmiſit. Hic perpetuis involutus bellis Marchiam Brandeburgenſem pro ducentis millibus aureorum Hungaricorum *Carolo* IV. vendidit, maligno, ſi ad noſtra tempora exigas, pretio. *Carolus* Imperator ſtatim tradidit Wenceſlao Ignavo filio, is imperator factus *Sigiſ-*

mundo fratri: qui, cum in Hungaria occupanda laboraret, *Iodoço* patrueli Moraviæ Marchioni pro 200000. aureorum Marchiam oppignoravit. Ita quasi ludibrium aliquod Marchiæ Dominos mutabat. *Iodocus* eam iterum *Wilhelmo Misniæ Marchioni* oppignorare, donec eam Sigismundus jam Imperator factus redimeret, ac *Friderico* Burggravio Norimbergensi pro 400000 aureorum in feudum daret ac venderet A. 1417. quam summam pecuniæ ut corraderet *Fridericus* Burggraviatum Noribergensem pro centum octoginta millibus florenorum vendidit. Ab hoc descendunt hodierni Marchiones & Electores Brandeburgenses. *Fridericus* I. Coloniam ad Suevum condidit. Ejus filius *Fridericus* II. cum ferreis dentibus jus in Pomeraniam partim armis, partim *Friderici* III. Imperatoris indulgentia acquisivit. Sed contra Lusatiam Bohemorum Regi tradidit: Cujus frater *Albertus* cognomine Achilles Germanicus domum Saxonicam, Brandeburgicam & Hassiacam arcto mutuæ hereditatis federe conjunxit. Ejus tres filii diversas Marchionum Brandeburgicorum stirpes condidere, quorum alii in *Voytlandia*, alii *Onoldsbachi*, alii in *Prussia* sedes habuerunt, Achillis Germanici filius *Ioh.*

Magnus

Magnus cognomine *Cicero* Germanicus. Ejus successor *Ioachimus* I. Academiæ Francofurtanæ fundatore. Tandem *Ioh. Sigismundus* extinctis patrulibus *Prussiæ* Ducatum A. 1611. Regis Polonorum beneficio Marchiæ adjunxit, ac *Cliviam* quoque bello Juliaco occupavit, cujus nepos *Fridericus Wilhelmus* amplissimis hodie ditionibus potitur, utque diu, omnes precamur.

Finis Germaniæ.

REGNUM BOHEMIÆ.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

BOHEMIA *indigenas Principes habuit.*

1. A *Zecho* conditore gentis & Anno Christi 550. usque ad *Wenceslaum* II. & A. 1307. Frater Lechi Polonorum primi Ducis perhibetur fuisse Zechus. Sed quod jam in Polonia dictum antiqua hæc parum fidei merentur, ac multis involuta sunt fabulis.

2. Primo

2. Primo Duces ſuos habuerunt Bohemi, quorum decimus *Borivojus* à *Methodio* Moravorum Apoſtolo baptizatus religionem Chriſtianam in Bohemiam introduxit A. 865.

II.

Bohemiæ *acceſſit* Moravia.

Moravia antiquum & potens regnum fuit, quod magnam Poloniæ, Hungariæ & Auſtriæ partem complectebatur. Exortum fuit circa A. C. 680: ſed nomina regum non extant omnia. Circa A. 700. *Marothus* in Moravia regnavit. Ei ſucceſſit A. 740. filius *Suathes* apud Bonvinium *Decade* I. lib. 9. quem Dubravius *Suato-Plucum* appellat. Hic ab Hungaris ſecundo ipſorum adventu magna Pannoniæ parte exutus, regni ſedem in Moraviam tranſtulit. Ultimus Moravorum Rex famoſus ille *Suato-Plucus* ſecundus fuit, quem alii *Suendo-Copium*, alii *Sventopolcum* appellant. Hunc Imperator *Arnulphus* circa A. C. 898 evertit, à quo tempore Moravia in provinciæ formam redacta Polonis ceſſit, à quibus eam ad Bohemos tranſtulit *Pretiſlaus* circa A. C. 1040.

III.

Bohemia *Reges habere cœpit.*

Primum regii Imperii apud Bohemos initium A. 1086 fuit, quo *Vladiſlaus* Ducum vigeſimus ab *Henrico* IV. Imperatore Rex Bohemiæ creatus fuit. Sed hæc dignitas crebro interrupta, neque quiſquam ſucceſſorum Vladiſlai per annos 180. uſque ad tempora *Frederici* I. regio titulo uſus fuit, quem *Vladiſlaus* A. 1159. concedente Friderico Barbaroſſa recepit, atque ad poſteros continua ſerie tranſmiſit.

IV.

Familia Ottogarorum *Bohemiam valde illuſtravit.*

Cum poſt mortem *Friderici* I. *Philippus* Sueviæ & *Otto* IV. Saxoniæ Duces de imperio contenderent *Premiſlaus* Rex Bohemiæ adeo ſeſe partibus *Ottonis* addixit, ut cognomen ſibi poſteriſque ſuis *Ottogarorum* pepererit voce Germanica *Gar Ottiſch*, id eſt, totus *Ottonicus* : unde non recte ſcribitur *Ottocarus* quaſi *Ottonicarus*, quod ex Dubravio rerum Bohemicarum celebri ſcriptore clarum. Permiſlao *Ottogaro* I. ſucceſſit *Wenceſlaus Ottogarus* II. Huic *Premiſlaus Ottogarus* III. qui regnum Bohemiæ ad

ſum-

ſummam amplitudinem deduxit, illudque à mari Balthico uſque ad Hadriaticum propagavit. Nam poſt obitum *Friderici* Ducis Auſtriæ, ſorore ejus Margaretha ducta, *Auſtriam*: ab *Vlrico* ultimo Duce Carinthiorum titulo emptionis *Carinthiam*, *Carniolam*, *Marchiam* Winidorum, *Slavoniam* & portum *Naonis* conſecutus eſt. Veronenſes, Feltrenſes, Tarviſini & multi ex foro Julii ſeſe ei ſponte ſubmiſerunt. Hungaris *Stiriam* ademit, & in Pruſſia ſuperatis Tartaris urbem *Konigsbergam* exſtruxit. Videatur Æneas *Sylvius* Hiſtoriæ Bohemicæ cap. 27. Qua occaſione omnes has provincias ipſi cum vita eripuerit *Rudolphus* I. ſupra in Imperatoribus dictum. Remanſit tamen poſteris ejus regnum Bohemiæ & Moraviæ, ac *Wenceſlaus* II. ducta *Rixa* Poloniæ inſuper Rex creatus fuit A. 1300. Eo mortuo Poloni defecerunt, & *Wenceſlaus* III. ſecundo regni ſui anno nefarie *Olomutzii* in Moravia obtruncatus familiam *Zechorum* ſive *Ottogarorum* terminavit.

PERIODUS SECUNDA I.
Bohemi *exteros* Reges *habuerunt*.

EXtinctis *Ottogaris* regnum Bohemiæ à variis competitoribus miſere dilacera-

tum

tum partim ad *Henricum* Ducem Carinthiæ, partim ad *Rudolphum Alberti* I. Imperatoris filium pervenit. Hæc diſſidia durarunt uſque ad A. 1312. quo regnum Bohemiæ ad domum Lutzelburgicam tranſlatum fuit. Habuerunt ergo Bohemi reges exteros *primo* quidem ex domo Lutzelburgica *Iohannem*, qui in prælio contra Anglos ad Creſſiacum A. 1346. Cæſus ſucceſſorem habuit *Wenceſlaum* cognomine *Carolum*, qui etiam Imperator hoc nomine factus Bohemiam omni ſtudio illuſtravit. Poſt hunc *Wenceſlaus* Ignavus Bohemiam peſſime adminiſtravit, ſub quo exorta propter religionem Huſſitarum factio, Bohemiam ingenti calamitate adflixit. Hunc excepit frater *Sigiſmundus*, de quibus ſupra in Imperatoribus: *Secundo* ex Domo Auſtria *Albertum* II. *Ladiſlaum* poſthumum. Hoc repente extincto *Georgius Podiebracius* natione Bohemus regnum per 14. annos habuit: *Tertio*, ex Polonis *Ladiſlaum*, cujus filius *Ludovicus* Hungariæ & Bohemiæ Rex A. 1526. à Turcis ad Mohazium cęſus occubuit. *Quarto* Auſtriacos iterum *Ferdinandum* I. *Rudolphum* II. *Matthiam* & *Ferdinandum* II. ſub quibus motus Bohemici exorti: *Quinto* ex domo Palatina *Fridericum*, quo intra vertentem annum everſo, Au-

ſtriaci

ſtriaci iterum velut hereditario jure ſucceſſerunt, *Ferd.* II. *Ferd.* III *Ferdinandus* IV. & qui hodie regnat *Leopoldus* I.

FINIS BOHEMIÆ.

REGNUM HUNGARIÆ.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Hunni maximum imperium condiderunt.

I. QUos hodie Tataros apellamus, antiquior ætas Hunnos vocavit, qui in locum priſcorum Scytharum per Aſiam ſucceſſerunt, Sed haud dubie nomen illud unius tantum populi peculiare fuit propagatum jure commilitii ad totum exercitum. Prima ergo Hunnorum origo ex Ruſſia petenda eſt, in cujus imperio hodie occurrit provincia *Iuhra*, cujus incolas lingua Hungarica teſtatur, uti qui coram vidit, Baro *Herberſtenius*. Cui facile crederemus, niſi obſtaret authoritas Monachi fide digniſſimi *Rubruquis*, qui legatione ad magnum Tatatorum Imperatorem celebris tradit ultra

Moſ-

Moscoviam in Asia septentrionali esse regionem Pascatir, ex qua orti tum Hunni tum Hungari. *Iubros* autem distingui à *Pascatiris* & Sinensibus propiores esse.

2. Ut originem satis incertam omittamus circa A. C. 300. Hunnorum nomen primum auditum fuit, qui tandem sub *Iuliano* Apostata claustris suis erumpentes primo in *Tauricam* Chersonesum, ubi Gothi regnabant, invaserunt, & quemadmodum unda undam trudit, ita barbari barbaros in Imperium R. expulerunt. Gothi primo Thraciam & Græciam, dein Pannonias, tum Hispaniam, denique Italiam occuparunt. Hunni vestigia quasi Gothorum insecuti Pannonias primam quasi regiam occuparunt. Referuntur Hunnorum, qui Panoniam sub 6. Ducibus ingressi sunt, decies centena & octuaginta millia hominum.

II.

Attila primus Hunnorum monarcha fuit.

1. Sigebertus Gemblacensis antiquissimus fere Hungaricarum rerum scriptor est. Is initium regni Hunnici ad A. C. 360. refert, ac primnm Regem facit Balamber. Huic successisse *Mundzuch* sive *Bendeguz*. Huic *Octar* & Regilam; quibus extinctis regnum

regnum pervenit ad duos fratres Attilam & *Bledam*. Ab hac traditione dissentiunt Chronica Hungarorum, qui nullos agnoscunt reges ante Attilam, sed Duces tantum & capita tribuum: ac ne id quidem concedunt divisum fuisse inter Attilam & Bledam imperium: sed accincto jam ad expeditionem Gallicam *Attila* constitutum fuisse regni Hungarici Vicarium Bledam. Et hæc sententiæ probabilior.

2. Verum initium regni Hunnorum incidit in A. C. 401. quo Attila omnium Hunnorum consensu Rex creatus fuit, de quo videatur *Nicolaus Olaus* & *Abraham Backschai* scriptores Hungari. Igitur Attila universum pene Occidentem, Germaniam, Pannonias, Gallias, Italiam partim in societatem suam traxit, partim armorum terrore perculit. Inprimis vero fortissimas gentes Gothos, Gepidas, Longobardos, Herulos, Alanos sibi consociavit dictus flagellum Dei & terror orbis. Infractus atroci in campis Catalannicis prælio, in quo centum octoginta Hunnorum millia cecidisse fertur. Non diu post Attila sanguinis profluvio extinctus universum orbem terrore nominis sui liberavit.

PERIODUS SECUNDA.

Hunni ex Europa in Asiam repulsi.

OCcasia mors Attilæ: Causæ impulsivæ diffidium inter fratres & filios Attilæ. Instrumentales quam plurimæ potentes nationes, Gothi; Gepidæ, Longobardi, quæ ablato capite, discordibus fratribus, amissum sibi vindicabant imperium. Tres præcipue inter Hunnos erant factiones, quarum prima sequebatur *Aladarium*, secunda *Chabam*, tertia *Hernacem*. Hi dum *Ostrogothi Walamirum* creant, & prætextu juvandi fratres eos partim occidunt, partim Pannonia expellunt. *Aladarius* & Hernax in præliis ceciderunt. Supererat *Chaba*, qui quantum supererat Hunnorum, contraxit, ac in antiquam patriam suam Scythiam Septentrionalem ad avum, ut ferunt, Bendeguzum reversus est: sed spe reditus sui facta.

II.

Reliqniæ Hunnornm Siculi sunt.

Qui cum Chaba reverti in Scythiam vel non poterant vel nolebant, illi in Transsylvania & montanis illis regionibus ad Danubium remanseruut, ac cum scirent exosum esse

esse nomen Hunnorum, illo abolito, *Siculos* id est, reliquias sese appellarunt, retentis in hunc usque diem pristinis moribus Omnes æque censentur nobiles. Nullum ibi vel familiæ vel opum discrimen, neque quisquam vel Regum vel Principum in eos hactenus usurpare dominationem ausus fuit. Neque adhuc deposuerunt memoriam Chabæ, quanquam in ludibrium versam. Quippe stipulantes sive iniquam sive impossibilem conditionem, sese eam tunc præstituros dicunt, ubi *Chaba* revertetur, quemadmodum Judæi, ubi Elias venerit.

III.

Post Hunnos regnarunt Ost-Gothi, *Gepidæ & Longobardi.*

Hinc patet responsio ad illam quæstionem, cur Hodie in media Hungaria lingua Germanica sive Saxonica obtineat; Quidam causam repetunt ab egressu puerorum Hamelensium plus quam anili fabula. Gepidas fuisse Germanos, ut de *Ost-Gothis* & Longobardis nihil dicamus, satis constat. Et quanquam illæ gentes postea vel pulsæ sint vel migrarint, nihilominus quasi coloniæ quædam remanserunt maxime Longobardorum, quos Saxones fuisse Corn. Tacitus satis innuit. Et hæc Saxonicæ linuæ apud Trans-Sylvanos origo. PE-

PERIODUS TERTIA.

I. *Hunni ex* Scythia *in Pannoniam reversi.*

HIc est secundus Hunnorum adventus, qui contigit A. C. 744. quo sub septem Ducibus iterum eruperunt. Ab his septem Ducibus, quorum quisque castrum in Dacia exstruxit, Transsylvania hodieque Germanis appellatur *Siebenbergen*, proprio nomine *Erdely*. Eo tempore late per Pannoniam regnabat *Suathes* Rex Slavorum Moravorum, de quo supra in historia Bohemica. Ita denuo potiti Pannonia Hunni sese cum Siculis & Avaribus conjunxerunt, unde *Hunnivarorum* mixtum nomen profluxit.

II.

Reges ex sua gente crearunt.

1. Inter septem Hunnorum Duces præcipuus fuit *Arphad* ex posteritate Chabæ sextus ab Attila, cui successit *Zulthan* filius, huic *Toxon*, huic *Gaiza*, huic *Sanctus Stephanus*, qui primus ab *Ottone* III. Rex Hungarorum creatus fidem Christianam recipit ac tanto studio propagavit, ut Sancti nomen obtineret. Factum hoc A. C. 997.

Priores

Priores ante Stephanum non Reges ſed Duces appellantur, eorumque res obſcuræ ſunt per ducentos & amplius annos. Atrocia inter Carolingos & ſuccedentes in Germania Imperatores ac Hungaros bella fuerunt. Quod enim Normanni à ſeptentrione, id ab Auſtro Hungari fecerunt omnem Italiam & Germaniam immaniſſime vaſtando. Carolus Magnus diuturno bello eos fregit, ac imperio utcunque ſubjecit. Defecerunt aliquoties, ſed aperte ſub Arnulpho, tanto perciti furore, ut non modo viri ſed etiam fœminæ nomen ſuum in militia profiterentur. Ita Germaniam Galliamque, præterea Thraciam & Bulgariam, id eſt, utrumque & Orientis & Occidentis imperium miſerabili clade perculerunt, & anniverſarias in Italiam prædæ cauſa excurſiones faciebant. Tandem *Henr.* Auceps ad *Mersburgum* Saxoniæ urbem ita eos cæcidit, ut vix ſeptem internecionis ſupereſſent nuncii, quos Imperator manibus, naribus & auribus amputatis in Hungariam remiſit, documento ne ulterius à Germanis tributum expeterent. Geminavit cladem *Otto* I. A. C. 955. ad Auguſtam Vindelicorum & aliquot Hungarorum Reges ſuſpendio affecit. Ab eo tempore Germaniam reliquerunt intactam.

2. Fa-

2. Familia Sancti Stephani in Hungaria A. 997. usque ad 1301. continua ſerie regnavit, & reges produxit 23. quorum ultimus fuit *Andreas* III. cognomine Venetus.

III.

Acceſſerunt Dalmatia & Croatia.

Regnum Dalmatiæ & Croatiæ in Illyrico proprios habuit Reges, quorum ultimus fuit Zelimirus, qui ducta Ladiſlai Hungariæ Regis ſorore ipſi moriens legavit Regnum, hæc *Ladiſlao* fratri circa A. 1080. & quanquam Dalmatæ poſt mortem *Ladiſlai* iterum ab Hungaria defeciſſent, creato rege Petro quodam, tamen *Codomannus* illum Petrum in prælio obtruncavit, & Dalmatiam recepit.

IV.

Tartari Hungariam deſtruxerunt.

A. 1242. Tartari Duce Bathi Hungariam invaſerunt ac ope Cumanorum, qui magno numero in Hungaria exulabant, univerſum regnum ita deſtruxerunt, ut vix ſimilis in omni hiſtoria calamitas occurrat. Extant peculiares deſtructionis Hungaricæ commentarii ab illis ſcripti, qui præſentes interfuerunt. Præcipuam cauſam dedit Rex

Bela, qui neglectis populi sui monitis Cumanos à Tartaris recens ex Scythia parva pulsos in Hungariam admisit: Cumque ipsorum Rex *Cuthen* tumultu populari ab Hungaris occisus fuisset, Cumani omnes sese conjunxerunt Tartaris, illisque totum regnum prodiderunt. Duravit hæc calamitas per triennium continuum exulante interea apud Dalmatas Bela Rege. Tandem regressis in Scythiam Tartaris Bela in Hungariam rediit & transitu per Austriam obtruncasse vulgo dicitur *Fridericum* bellicosum ultimum Austriæ Ducem. Sed illam traditionem falsam esse observavit *Christoph. Forstnerus* in Notis suis ad 5. Annalium Taciti: ubi ex relatione indigenarum refert Fridericum Austriæ Ducem à Barone *Pottendorffio*, cujus uxorem adulterabat, in venatione fune ad id parato, equo detractum atque ita interfectum fuisse.

Periodus Quarta.

1. *Hungaria exteros Reges habere cœpit.*

Extincta Attilæ in *Andrea* III. progenie Hungaria exteros Reges quærere cœpit. Familiæ in ea regnarunt primo Bohemorum, ex quibus petierunt Regem *Wenceslaum*

ceslaum seu *Ladislaum*: secundo *Bavarica*, qua *Otto* Dux Bavariæ, tertio Andegavensis sive Neapolitana, ex qua Carolus Martellus, *Carolus Robertus*, *Ludovicus* I. & *Maria*. *Sub Carolo Roberto* regnum Hungariæ amplissimum fuit, ac Dalmatiam, Croatiam, Serviam, Bulgariam, Bosniam, magnam Russiæ partem, ac universum 13. regna complectebatur: quarto Lutzelburgica. Nam extinctis Neapolitanis cum sola superesset *Maria*, *Sigismundus Caroli* IV. Imperatoris filius ea ducta, simul Hungariæ regno potitus fuit: quinto *Austriaca*, ex qua Albertus & *Ladislaus* V. posthumus: sexto *Corvinorum*, ex qua Matthias Corvinus Hunniades: septimo Polonorum, ex quibus *Vladislaus* II. ac *Ludovicus*: octavo *Austriaca* iterum, ex qua *Ferdinandus* I. & qui eum secuti Imperatores simulque Reges Hungariæ.

II.
Turcæ Hungariam vehementer debilitarunt.

Cum Turcæ ex Asia in Thraciam intrassent, continuis ferè bellis Hungariam adflixerunt: inprimis sub *Sigismundo* & *Ludovico* ultimo, post fatalia illa ad Nicopolin, Varnam & *Mohazium* prælia. Repressit quidem

quidem *Matthias Corvinus* Hunniades, auxilio usus Scanderbegi Epirotæ, Turcarum potentiam, sed eo extincto majora incrementa sumpsit, inprimis vero occasionem Turcis commodissimam præbuit mors *Ladislai* V. posthumi. Tum enim Ferdinandus Austrius ac Johannes Waiwoda Trans-Sylvaniæ de regno armis inter se contendebant, & nitebatur Johannes auxiliis Turcarum. Hoc prætextu Solymannus Budam regni sedem cum longe maxima totius Hungariæ parte occupavit, illamque veluti arcem belli contra Christianos constituit.

III.

Trans-Sylvania peculiarem principatum constituit.

Olim Trans-Sylvania Hungariæ provincia per Waiwodam seu Palatinum Principem regebatur, sed postquam *Iohannes* Waiwoda regnum Hungariæ invasit, Trans-Sylvania peculiarem Remp. ac principatum sub clientela Turcæ constituere cœpit. Primus Trans-Sylvaniæ Principum *Stephanus Bathorius* postea Poloniæ creatus Rex, cui ordine successerunt Christophorus, Sigismundus, *Stephanus Botskai*, *Sigismundus Ragotzi*, *Gabriel Bathorius*, Bethlehem

lem Gabor, Georgius Ragotzi primus, & Georgius Ragotzi secundus, qui hodieque principatum gerit. His Michael Abaffi cum Turcis pax; sed frequentia cum Austriacis bella, quæ circa A. 1600. cœperunt, ac primus sese Cæsari opponere ausus fuit *Stephanus Botskai* circa A. 1606. dein Bethlehem Gabor durante bello Bohemico, denique A. 1646. Georgius Ragotzi.

Finis Hungariæ.

ITALIA.

PERIODUS PRIMA.

I. *Pontifices Romani Italiam ab Imperio abstraxerunt.*

FActum id ab eo tempore, quo extinctis Carolingis imperium ad Germanos translatum. Tum enim magis magisque extollere se Pontifices Romani, ac specie ecclesiastici juris Dominos sese ac Judices Imperatorem supremos constituere. Et hæc consilia maxime successerunt inter perpetua Germaniæ dissidia, cum Saxones, Suevi & Bavari pro imperio contenderent. Primum in *Henrico* IV. experimentum fecerunt Pontifices, quantum excommunicatione sua possent, quem cum in ordinem redegissent,

eodem prætextu contra omnes ejus ſucceſſores uſi fuerunt, excommunicantes ordine *Henr.* V. *Fridericum Barbaroſſam*, *Philippum*, *Ottonem* IV. *Fridericum* II. & *Ludovicum* IV. Bavarum, qui ultimus rabiem eorum ſenſit. Si qui ſagaciores erant ac pacis ſtudioſiores ex Imperatoibus, Italiam veluti maledictam terram declinabant, ſecuti exemplum *Rudolphi* Hapsburgici, qui rogatus cauſam, cur non contenderet in Italiam, cum Vulpecula Æſopi reſpondit,

quia me veſtigia terrent
Omnia te contra ſpectantia nulla retrorſum.

Et hanc Italiæ ab Imperio R. exemptionem confirmavit *Carolus* IV. ac Wenceſlaus Ignavus dubium majore bono publico an detrimento.

II.

Diviſa eſt in varia Regna, dominia, Ducatus, Principatus & Reſpublicas,

Nulla terra Tyrannorum magis ferax, quam Italia fuit Per ſingulas pene urbes Tyranni dominationem adfectarunt, ſimiles plerique *Dionyſiis*, *Phalaridi*, *Buſiridi*, & ſi quos alios antiquitas propter injuſtitiam ac immanitatem celebrat. Extat vita Eccelini tyranni magnæ partis Galliæ Ciſalpinæ, quæ non ſine horrore immanitatis legi poteſt,

test, & ad ejus exemplum cæteri sese composuerunt. Hanc Tyrannorum insolentiam auxerunt factiones Guelphorum & Gibellinorum: donec tandem extinctis tyrannis legitimi succederent principatus.

PERIODUS SECUNDA.

Resp. Veneta & antiquissima & optima hodie censetur.

1. ORigo Venetiarum hæc fuit. Cum fama expeditionis Hunnicæ sub Attila universam perterruisse Italiam, honestissimi quique ex oppidis sinus Adriatici conjuges ac liberos suos in æstuaria ac insulas ex continente transtulerunt circa A. C. 421. Inde, cum jam certum esset, Attilam contra Aquilejam venire & vastitatem Italiæ minari, frequentius in illas insulas migratum fuit circa A. 452. donec tandem eversa jam Aquileja profugi passim atque extorres eo confluerent, animo sedes illas nunquam deserendi. Ita extructa urbs, quam Venetias appellarunt, tum quod profugi ex pluribus Venetæ regionis oppidis ibi consedissent, tum quod in pluribus insulis condita multiplex videretur urbs, tanta mox cepit incrementa, ut justam Reipublicæ formam adsumeret. Quoscunque enim Gothi & Longobardi continente pellebant, illi se Vene-

Venetias tanquam in portum securitatis recipiebant.

2. Veneti primo habuerunt tribunos summa cum potestate pro numero Insularum, in quas dividebatur Urbs. Hic magistratus erat annuus, & ducentis annis duravit. His Duces successerunt circa A. 697. qua dignatione primus *Paulutius Anafestus* perfunctus fuit. Sed sub tertio Duce Hypato Urso institutum hoc immutatum & creati magistri militum annui, quorum potestas brevis Sexto enim anno post reditum ad creandos Duces, à quo tempore nunquam interrupta series eorum duravit. Sedes suas primo habuerunt Heracleæ, inde alibi, donec tandem sub Angelo Patriciano excisa Heraclea sedes Venetias ad Rivum altum translata,& tum diviso in Orientem & Occidentem imperio Resp. Veneta ab utriusque Jurisdictione exempta fuit, & nullum Imperatorem superiorem agnoscere cœpit.

II.

Imperium per maria, continentem & Insulas longissime extenderunt.

Quod in antiquo orbe fuit Tyrus, id in novo orbe censentur Venetiæ. Utraque urbs maritimis viribus inclyta, mercatura dives, coloniis frequens, imperio valida. Cum ergo

ergo Veneti occupaſſent proximas in Continente regiones, imperium in Dalmatiam extendere cœperunt circa A. 990. quo tributo ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſoluti ſunt, ita quidem ut circa A. 1085. Vitalis Falierus Dux Dalmatiam & Croatiam pleno jure ab Imperatore Alexio impetrarit. Acceſſit ſub Petro Polana Inſula, Corcyra, quam hodie Corfu appellant. *Vitalis Michael* in bello contra Emmanuelem Imperatorem Chium adjecit. Ab eo tempore univerſi maris Adriatici Dominos ſeſe vocarunt Veneti, illudque jus ipſis ab *Alexandro* III. Papa R. A. 1177. confirmatum, quod eccleſiam contra *Fridericum* Barbaroſſam ſtrenue defendiſſent. Ab eo tempore quotannis Duces Venetiarum per annulum in mare projectum ſibi ſinum Adriaticum quaſi deſpondent. Maximum incrementum Reſpublica cepit A. 1204. Cum enim Latini capta Conſtantinopoli imperium Orientis ad ſe tranſtuliſſent, Veneti, quorum præcipuæ in illa expeditione partes, pleraſque Maris Mediterranei inſulas ſibi vendicarunt Duce *Henrico* Dandulo & tum acceſſit illis Creta ſeu Candia, Methone, Corone, Gallipolis, Eubœa, Naxus, Paros, Melos. Tum Imperium per Italiæ continentem propagatum. Cum enim pleraſque urbes

obtinerent Tyranni, Veneti prætextu libertatis plerasque occuparunt, Vincentiam, Veronam, Feldriam, Pataviam, Udinum, Forum Julii, Brixiam, Bergomum, Ravennam, Cremam, Parmam, quarum aliquot iterum amiserunt. Ultimum incrementum hæc Resp. obtinuit A. 1487. quo Cyprus clarissima Insula Veneto Imperio adjecta hac occasione. Duxerat Jacobus Lusignanus Cypri Rex *Catharinam Marci Cornelii* Patricii Veneti filiam, quam Senatus solenniter adoptaverat. Extincto *Iacobo* filia cum filio posthumo sub tutela Reip. Venetæ per 16. annos administravit Cyprum, donec tandem translata Venetias testamento universam Insulam Reipublicæ legavit. Magnas tamen Veneti controversias propterea cum Ducibus Sabandiæ habuerunt, qui ad se spectare regnum Cypri propter nuptias Charlottæ cum *Ludovico* Sabaudo hodieque contendunt.

III.

Hostes ejus præcipui in ipsa Italia. Genuenses fuerunt.

Occasio gravissimorum inter Venetas & Genuenses dissidiorum eadem fuit, quæ olim Lacedæmonios & Athenienses commisit. Cum enim Veneti destructo Imperio Græco

Græco plerasque maris Mediterranei insulas occupassent, inprimis Candiam, Genuenses invidere ipsorum successibus, ac de maris dominio cum illis certare. Igitur A. 1207. primum inter duas potentes Respublicas exarsit bellum, quorum septem ordine gesta mira vicissitudine. Ultimum ad fossam Clodiam A. 1377. memorabile ingenti Genuensium clade, qui unico illo prælio veluti Athenienses ad Ægos Potamos dominio exciderunt. Ab eo tempore haud dubie superiores Veneti, ac Genuenses infausta militia abdicata, mercaturæ totos se manciparunt, ita ut si non potentissimi, saltem ditissimi per Italiam evaderent.

IV.

Respublica Veneta declinare cœpit.

A. C. 1500. cum jam ferè millesimum annum antigisset, in summo potentiæ apice constitit, & post maximas bellorum tempestates haud parum declinavit. Ab A. C. 1500. usque ad A. 1530. perpetuis Gallorum, Austriacorum & Hispanorum bellis collisa fuit, & vix ullus à gravissimis difficultatibus liber annus. Præcipue *Maximilianus* I. eos in extremas angustias conjecit circa A. 1509. cum totus fere Orbis Christianus in Venetos conspirasset Cameracensi fœdere inter *Iulium* II. Pontificem, *Ludovi-*

cum XII. Galliæ, *Ferdinandum* Catholicum Hispaniæ Reges, ac ipsum *Maximilianum* I. Imperatorem, cum quibus reliqua sentiebat Italia. Victi Veneti ac universo continenti exuti vix quidquam præter urbem suam ac mænia retinuerunt. Tum primum Resp. prosternere se ad pedes Cæsaris, ejusque gratiam lamentabili oratione expetere cœpit. Statim etiam fortuna favit. Receptæ, quas amiserant urbes, denique continentis imperium brevi recuperatum. Ab eo tempore hoc Reip. suæ conservandæ arcanum habuerunt, ut parta conservarent, nec de novis acquirendis satagerent. Igitur inter Principes Christianos mediatorum sibi partes adsumpserunt: conciliandi Gallos & Hispanos studium præ se ferre, cum utrosque metuant: inprimis domum Austriacam non quidem aperto bello sed clandestinis federibus impetere. Et hac ratione integro seculo Rempublicam suam utcunque sustentarunt.

V.

Turca aperte illi exitium molitur.

1. Hostes Reip. Venetæ alii sunt aperti, alii occulti. Occulti Rex Hispaniæ & Domus Austriaca, quibus non deesset voluntas opprimendi Venetos, nisi scirent Regem

Galliæ

Galliæ ceterosque contra-Hispanos id haud quaquam laturos. Miris ergo artibus Rex Hispaniæ Turcas in Venetos concitare solet. Cum enim proprium Reip. Venetæ munus sit defendere mare Adriaticum à Pyratis, Hispani ex regno Neapolitano deprædari Turcas, eosque irritare. Cujus insigne exemplum dedit Dux Ossunæ Pro-Rex Neapolitanus circa A. 1612. qui etiam proditione intercipere urbem Venetam conabatur. Omnium gravissimum fuit, quod per Uskoccos in Remp. moliti sunt Hispani Uskocci Dalmatiæ effera gens latrocinando vivunt, inter Turcas ac Venetos medii, sub clientela tamen Austriacæ Domus. Ab his plus quam immania contra Venetos crudelitatis exempla edita fuerunt circa A. 1612. & seqq. Hi piratæ oppressis hinc inde Venetorum triremibus non contenti occidere homines, quosdam insuper coxerunt ac devorarunt. A nullo bello aliëniores erant Veneti quam ab illo. Per aliquot annos atrocissimas tolerarunt injurias dissimulando. Sed cum finis nullus esset, cum ludibrio ubique haberentur, A. 1615. armis vindicare Remp. suam aggressi sunt Bellum in foro *Iulio*, *Istria* & Dalmatia gestum. Tulerunt auxilia Belgæ & alii fœderati, & avocatis bello Bohemico Austriacis, gloriosam Reip. suæ securitatem pepererunt.

2. Sed

2. Sed Turca damnosior illis, negligentibus, tanquam alienum foret periculum, quod proximo infligitur, communem hostem, ceteris Christianis. Primo ergo Cyprum A. 1570. bello appetere *Selymus* secundus, Turcarum Imperator cœpit, & expugnatis ordine Nicosia, Famagusta & Thamasso, intra biennium universa insula potitus fuit, quanquam medio temporis atrocissimo navali ad Insulas Echinadas à Christianis prælio victus, in quo plus quam 30000. Turcarum perierunt. Ante sexennium eodem jure Turca Candiam invasit, quam in hunc diem deserti ab omnibus Christiani *Orbis* principibus sola Resp. animo quam viribus majore ita defendit, ut ambiguum videatur, bellum illud in discrimen Turcarum an Venetorum erupturum sit.

RESPUBLICA GENUENSIS.

I. *Genua maris mediterranei imperium affectavit.*

GEnuenses prohibiti Italiæ imperio summis viribus maria occupare aggressi sunt circa A. 1000. Stimulabant eos vicini atque infesti Saraceni, quibus Corsicam magnamque Sardiniæ partem eripuerunt.

Sed Sardinia à Pisanis expulsi, Corsicam in hunc usque diem retinent: nec contenti proxima invadere in ipsam Tauricam Chersonesum, quæ hodie Minor Tartaria, coloniam deduxere, & ex *Theodosia Capham* fecere, emporium Ponti Euxini celeberrimum. Præterea in conspectu Constantinopolis obtinuerunt Peram & ex Insulis *Chium* ac *Lesbum*. Validæ insuper ipsorum opes in Palæstina & Cypro. Hinc perpetuæ inter ipsos ac Venetos æmulationes, donec tandem controversi diuturna ad fossam Clodiam decideretur, ut supra dictum.

II.

Creavit Duces.

Circa A. 1327. quorum primus Dominicus Fulgosus. Hic status duravit usque ad A. 1390. triennii tantum intercedente interregno.

III.

Fluctuavit inter exteros.

Causa fuerunt factiones Guelphorum & Gibellinorum. Hac occasione in potestatem venit 1. *Caroli* VI. Regis Galliæ ab A. 1390. ad 1403. 2. Ducis Mediolani sub *Iohanne Maria* Vice-Comite: quo interempto cum suos aliquandiu iterum habuisset Duces A.

1420.

1420. iterum ad Mediolanenſes pervenit, & in eorum fide duravit annis 15. Hæc mutatio aliquoties iterata; cum civitas potens neque ſeſe poſſet regere neque ſubeſſe aliis, donec tandem A. 1499. *Ludovicus* XII. Rex Galliæ eam occuparet, in cujus & ſucceſſoris Franciſci I. poteſtate permanſit annis 23.

IV.

In libertatem reſtituta eſt.

A.C. 1522. *Carolus* V. Genuam impotenti Gallorum dominio liberavit, uſus imprimis opera Andreæ Aureæ ſive Doreæ Genuenſis. Ab eo tempore nova Reip. forma conſtituta per tot annos hactenus florentiſſima. Creati Duces, quorum poteſtas biennio definita. Electionem ſorti committunt. Duci adjunguntur octo Gubernatores, totidem Procuratores & V. *Syndici*. Hæc forma Reip. uſque ad A. 1574. duravit, quo anno diſſenſiones graves inter populum ac nobilitatem extitere, quas *Maximilianus* II. Imperator, *Philippus* II. Rex Hiſpaniæ & Pontifex R. ſuſtulerunt. Et ſic Reſp. Genuenſis in hunc diem floret, neutrarum in bello partium, ſed magis Hiſpano addicta, in cujus etiam clientela eſt.

Du-

DUCATUS MEDIOLANENSIS.

I. *Mediolanum Duces habuit.*

ORigo Ducum cœpit A. 1395. ſub Imperatore Wenceſlao Ignavo, qui accepta pecunia Lombardiam Vice-Comitibus in perpetuum vendidit. Ante illa tempora varia Mediolanenſium fortuna fuit, & urbs funditus à Friderico Barbaroſſa A. 1124. exciſa, ipſumque ſolum conſperſum ad perpetuam ſterilitatem ſale fuit. Emerſit ſub *Friderico* II. tantis incrementis, ut altera poſt Romam Italiæ urbs cenſeretur. Factiones in ea inprimis duæ erant Turrani ac Vice-Comites. Hi prævaluerunt & præfecturam in principatum perpetuum mutarunt. Hæc Vice-Comitum familia non niſi 55. annis duravit, extincta in Philippo *Maria*, qui cum prole careret legitima, Ducatum quatuor potentiſſimis competitoribus diſcerpendum reliquit, *Friderico* III. Imperatori titulo Imperii, Alphonſo Regi Siciliæ ex teſtamento, *Carolo*, *Ludovici* Ducis Aurelianenſis filio ex Valencia *Iohannis* Galeácii filia, & *Franciſco* Sforciæ genero ſuo per filiam illegitimam. Hac occaſione Vicini Principes Ducatum undique dilacerarunt, ac Veneti Placentiam, Cremā, Laudam; *Ludovicus* Sabaudiæ Dux Valenciam & Confluentiam, Carolus Aurelianenſis Aſtam occuparunt Mediolanum, Novara,

Comum,

Comum, *Alexandria*, *Dertona* mutuo fœdere aliquandiu ſeſe defendebant, donec *Franciſcus* Sfortia partim fraude partim vi Ducatu potitus eſt, qui humili ortus familia exgregatio milite veluti alter Agathocles ad ſummam poteſtatem evaſit. Ejus ſucceſſor *Ludovicus* Sfortia A. 1499. à *Ludovico* XI. Rege Galliæ Ducatu exutus ac in carcere necatus fuit, Manſit Mediolanum in poteſtate Gallorum annis 13. quibus elapſis A. 1512. *Maximilianus* I. Imperator *Maximilianum* Sfortiã reſtituit. qui poſt triennium A. 1515. poſt prælium illud famoſum ad Marignanum a *Franciſco* I. everſus. Tenuerunt Mediolanum Galli uſque ad A. 1522. quo *Carolus* V. *Franciſcum Sfortiam* reſtituit, & A. 1525. *Franciſcum* Galliæ Regem renunciare juri ſuo coëgit. Cumque A. 1535. *Franciſcus Sfortia* ſine liberis obiiſſet, *Carolus* V. Ducatum Mediolanenſem tanquam feudum Imperii invaſit, atque ad poſteros ſuos Reges Hiſpaniæ tranſmiſit.

STATUS ECCLESIÆ.

I. *Epiſcopi Romani magnam Italiæ partem obtinuerunt.*

1. Circa A. C. 700. Initium factum à *Johanne* VII. cui Aribertus Rex Longobardorum donavit Alpes *Cottias* & quidquid

quid à Taurinis uſque ad Ligurim & Genuam protenditur. Atque hæc eſt illa conficta *Conſtantini* Magni donatio, cujus vigore Romani Pontifices non modo in universam Italiam, verum etiam totum Occidentem ſupremum ſibi adſcribunt imperium.

2. Cum Reges Longobardorum crebras inimicitias exercerent erga Pontifices Romanos, ipſi Reges Francorum, veteres Longobardorum hoſtes, in Italiam evocarunt. Factum hoc à *Stephano* II qui Pipinum Regem Francorum contra Aiſtulphum Regem Longobardorum evocavit, & ab eo Exarchatu Ravennæ, Concha, Piſauro, Fano fortunæ, Urbino, Eugubio, multiſque præterea in Piceno & Flaminia urbibis donatus fuit, quæ omnia Aiſtulpho erepta, *Stephano* Pipinus dedit. Hanc Pipini donationem *Carolus* M. confirmavit, & hæc inſuper adjecit: Magnam Liguriæ partem, Corſicam, Parmam, Rhegium, Mutinam, Mantuam, Venetias, Iſtriam, Forum Julii, Beneventum, Spoletum. Ita ſub Carolingis omnem ſuam temporalem poteſtatem obtinuerunt Papæ, & hoc prætextu jus ſibi hodieque in omnes fere Italiæ principatus arrogant, tum quoque prætextu religionis Chriſtianæ integra regna ſuæ potentiæ Pontifices ſubjecerunt,

runt, jam tum emergentibus his Pontificiæ tyrannidis decretis, Extra Ecclesiam Romanam non esse salutem, Pontificem esse successorem Petri, Caput Ecclesiæ visibile, Vicarium in hac terra Christi, Ejus esse Reges creare & conservare aut deponere. Hæc tyrannis primo introducta fuit specie convertendi Reges Paganos, nihil inde mali sibi metuentibus Christianis. Igitur Slavi, Moravi, Bulgari, Servii, Bosni, Croatæ, Dalmatæ: successu temporis Poloni, Dani, Norwagi, Sueci, Angli & aliæ nationes Pontifici Romano etiam in temporalibus sese subjecerunt, quasi beneficium æternæ salutis compensare Christi vicario alia ratione non possent, quam se suaque omnia ipsius arbitrio submittentes. Hac superbia Pontifices invadere, armatos duplici gladio spirituali excommunicationis, temporali tum propriæ potentiæ, tum aliorum. Quippe, cum perpetua sit inter Principes æmulatio, Pontifex R. sese alicui semper parti associabat, & alteram vel terrore excommunicationis vel armorum vi sibi subjiciebat. Ita tyrannis ab uno ad alterum pervasit, & ausus fuit Pontifex excommunicare Imperatores, Reges Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, omnium denique Ordinum ac conditionum homines: unde jure Canonico decretum Pontificem

R. esse

R. esse supremum Monarcham totius orbis non modo in spiritualibus, verum etiam in temporalibus, omnia regna & imperia esse ipsius feuda, cumque cuncta administrare posse; prout conveniens judicaverit esse Ecclesiæ. Principes post atrocissima bella domiti tandem suo etiam consensu approbarunt hæc decreta. De Imperatoribus Romanis supra dictum in *Henrico* IV. V. *Friderico* I. II. *Ludovico* IV. & aliis Anno 1202. *Petrus* Rex Aragoniç regnum suum ecclesiæ Romanæ feudatarium fecit Anno 1208. *Iohannes* Rex Angliæ excommunicatus Angliam & Hiberniam præter S. Petri nummum Romanæ ecclesiæ feudatarias fecit. Ann. 1255. *Alexander* IV. Mendogum Regem Lithuaniæ ad fidem conversum coronavit, ejusque regnum sibi subjecit. *Vrbanus* IV. regnum Siciliç à Manfredo & posteris *Friderici* II. ad Carolum Andegavensem transtulit. Et ita cum reliquis quoque regnis actum fuit. Ann. 1253. *Clemens* VI. Comitatum Avenionensem à *Iohanna* Regina Neapolitana emit *Alexander* VI. Ann. 1492. detecto novo orbe eum quasi summus Dominus inter Reges Portugalliæ & Castiliæ divisit. Julius Secundus Ravennam, Imolam, Faventiam, Forum Julii, Serviam & Bononiam bello recuperavit.

vit. *Leo* X. Ducem Urbinatem ejecit, ejusque Ducatum *Laurentio* Medici cognato suo tradidit. *Sixtus* V. & *Gregorius* XIII. *Henricum* III. & IV. tum Galliæ Reges: *Pius* V. *Elizabetham* Angliæ Reginam excommunicavit, & regnum tanquam juris Ecclesiastici exposuerunt cuilibet occupanti, inprimis vero Regi Hispaniæ. *Paulus* V. A. 1606. excommunicavit Venetos. *Vrbanus* VIII. A. 1640. & Innocentius A. 1648. Ducem Parmæ, cui etiam superiori anno vi armorum eripuit Ducatum Castrensem. Postea tantum unus excommunicatus adhuc fuit Carolus Lotharingiæ Dux.

REGNUM UTRIUSQUE SICILIÆ.

Periodus Prima.

CANON I.

Normanni condiderunt regnum utriusque Siciliæ.

1. Tancredus multorum parens liberorum, cum domi laboraret inopia, allectis in societatem Normannorum pluribus militatum exteras regiones petiit. In Italiam delatus fortem Græcis operam contra

tra Saracenos Siciliæ incubantes contulit. Sed propter iniquam prædæ divisionem ab illis abalienatus, aliquot Apuliæ oppida occuparunt, & crescenti indies potentia Drogo Trancredi filius A. 1039. Apuliæ Comitem sese nominavit: cujus successor *Wilhelmus Ferrobrachius* Calabriam & Capuam, *Ròbertus* Guiscardus magnam Siciliæ partem adjecit, illamque fratri suo Rogerio Bosso tradidit, qui sese primus Siciliæ comitem appellavit Extincta *Roberti* Guiscardi progenie *Robertus* II. Siciliæ Comes Apuliam, Calabriam, Capuam quoque obtinuit & sese Siciliæ ac Italiæ Regem appellavit. Id molestè tulit *Innocentius* II. Pontifex, sed à Rogerio captus Neapolim & quæ adhuc Græci in Italia possidebant ei donavit, hoc tamen impetrato, ut Regis Italiæ titulo abstineret. A. C. 1130.

II.

Ab his ad Suevos pervenit.

Extincta Normannorum Regum familia Siciliæ Regnum cum Ducatu Apuliæ & Calabriæ ad *Henr.* VI. Imperatorem A. 1192. pervenit, cui *Fridericus* II. successit, qui regnum Hierosolymæ partim conjugio, partim armis obtentum regno Siciliæ junxit, quo titulo hodieque Hispaniæ Reges utuntur.

utuntur. *Friderico* ſucceſſit *Conradus* IV. cujus filium ac legitimum hæredem *Conradinum Manfredus* frater nothus regno Siciliæ per ſcelus exuit.

III.

A Suevis tranſlatum ad Duces Andegavenſes

Clemens IV. *Pontifex* regnum Siciliæ donavit Carolo Duci andegavenſi, qui oppreſſo Mamfredo Rex Siciliæ & Neapolis factus fuit his conditionibus, primo ut Imperium ejuraret, 2. ut Papæ tributarius eſſet. Qua ratione *Conradinus*, dum recuperare avitum regnum nititur perierit, ſupra dictum.

IV.

Sicilia ad Aragonios defecit.

Cauſa principalis fuit ultio mortis *Conradini*, qui *Petrum* Aragonię Regem tanquam proximum agnatum in ipſo ferali pegmate hæredem inſtituit. Impulſiva externa: tyrannis, levitas & petulantia Gallorum, qui moribus ſuis peſſimis Siculos graviſſime irritarunt. Inſtrumentalis *Nicolaus* III. Papa Palæologus Imperator Conſtantinopolis, Petrus Aragonię Rex, & inprimis *Ioh. Prochyta*. Inter hos ſecreta conſpiratione convenerat,

nerat, ut ad certam diem atque horam omnes per Siciliam Galli obtruncarentur. Quod A. 1282. ipso Paschatis die hora 3. vespertina ad sonum campanæ factum. Cæsa Gallorum 8000. Unica tamen urbs *Sperlinga in* Gallorum fide permansit, cujus portæ inscriptum,

Quod Siculis placuit, tantum, Sperlinga negavit.

Statim Siciliæ Rex declaratus Petrus Aragonius, & ab eo tempore in ipsius domo constanter mansit. Cumque *Carolus* Andegavensis regno carere nollet, regem Neapolis sese appellavit, quæ prima ejus Regni origo.

V.

Iidem regno Neapolis potiti.

Neapoli regnarunt duæ Johannæ, monstrosæ libidinis, & supra fidem animo perfido & immani, quarum prior nupsit Andreæ Regi Hungariæ, eumque paulo post de fenestra suspendi jussit opera cujusdam fœminæ Catanensis, qua scelerum Ministra utebatur: deinde *Ludovico Principi* Tarenti, mox Jacobo Principi Calabriæ, denique *Ottoni* Brunsvicensi nupsit, quibus omnibus vel repudiatis vel interemptis, *Ludovicum* Ducem Andegavensem adoptavit. Sed Ca-

rolus Princeps Dyrrachii & Johanam & *Ludovicum* Andegavensem regno expulit & ad filium *Ladislaum* II. transmisit. Hinc fluxit perpetuum illud odium inter domum Aragoniam & Andegavensem. Hinc omnia bella, quæ Galli pro regno Neapolitano in hunc diem gerunt. *Ladislao* successit soror *Iohanna* II. ejusdem plane ingenii: quæ, cum modo Alphonsum Regem Aragoniæ, modo *Renatum* Ducis Aurelianensis fratrem instituerret hæredem, cruentis factionibus universum regnum distraxit, donec illud post diuturnum bellum Alphonso omnium ferè Regum optimo ac sapientissimo cederet. Ita Aragonii utriusque Siciliæ Reges facti sunt.

PERIODUS SECUNDA

I. *Aragonii eversi.*

Occasio fuit obitus Alphonsi Sapientis sine prole legitima, qui cum regnum Neapolitanum & Siciliæ testamento legasset Ferdinando filio illegitimo, Reges Aragoniæ prætendere cœperunt restitutionem sumptuum & fructum impendiorum, quæ expensæ fuerant in occupationem regni Neapolitani. Hac occasione usus *Carolus* VIII.

lus VIII. juvenis & rerum imprudens temerariam, ſed felicem expeditionem ſuſcepit in Italiam: & cum videretur potentior, exiſtimabat cauſam quoque ſe habere æquiorem. Expeditio illa fatalis fuit, de qua legi poteſt, qui præſens interfuit, Comineus. Alphonſns Rex Neapolis tempeſtatem imminentem metuens jam ſenior onus tranſtulit in *Ferdinandum* filium, qui regno exutus *Fridericum* patruum ſucceſſorem habuit. Is, Gallorum dominio intra breve tempus excuſſo, univerſum regnum auxilio *Ferdinandi* Catholici Hiſpaniæ Regis recuperavit. Sed cui propter jus conſanguinitatis plurimum confidebat, ab eo perfide deceptus fuit. *Ferdinandus* enim Architectus ille Monarchiæ Hiſpanicæ, cum videret everti poſſe cognatos ſuos reges Neapolitanos, clandeſtinam pactionem cum *Ludovico* XII. Rege Galliarum inivit, ita ut ille aperto bello, ipſe ſimulato auxilio regnum Neapolitanum invaderet. Idque A. 1499. tam ſecreto artificio factum, ut momento *Fridericus* ſeſe everſum ſenſerit. Videns ergo ſeſe conſpiratione duorum potentiſſimorum Regum, quibus longe impar erat, everſum, rebus deſperatis maluit ſeſe apertis hoſtibus ſuis Gallis, quam perfido amico *Ferdinando* committere. Ipſe abductus in

captivitatem. Regnum Neapolitanum æqua portione inter duos Reges divisum fuit. Concordia haud diu mansit. Ortæ inter Gallos & Hispanos de finibus controversiæ, & infirmiores erant Galli, quam ut regionem maritimam longe dissitam diu defendere possent. Inprimis *Ferd.* Consalvus de Corduba Regis Hispaniarum in Italia præfectus incredibili virtute ac prudentia regnum Neapolitanum Gallis eripuit, dictus propterea magnus Capitaneus, De toto bello, quod inprimis memorabile, legendus *Franciscus* Guicciardinus summi judicii scriptor, qui ipse interfuit. A. 1504. totum regnum Neapolitanum exclusis penitus Gallis Hispano in hunc usque diem concessit.

II.

Neapolitani libertatem aliquoties affectarunt.

Primo quidem A. 1570. Causa: Inquisitio Hispanica, quam *Philippus* II. introducere conabatur. Hinc ingens tumultus & rebellio, de qua prolixe *Thuanus*. Secundo, A. 1647. quo anno novam erexecunt Remp. Nihil mirabilius isto tumultu. Occasio levissima. Quidam Piscator, cui nomen Thomas Angelus, orta forte rixa

rixa in foro inter regios miniſtros, & fœminam quandam, neſcio quid, vendentem concitato tumultu ſeſe totius populi Neapolitani Ducem conſtituit, tanta majeſtate, ut nullus unquam Monarcha majori reverentia cultus fuerit à ſubditis, quam ipſe ab ingenti Neapolitanorum multitudine, ſolo nutu ac geſtu C. hominum millia componere admirabili omnium ſilentio poterat. Vix credibilia patravit, niſi recens fama, & tot, qui interfuerunt, adſeveratio credere nos cogeret. Hæc omnis machina à Cardinali Mazarinio inſtructa fuit, prętextu regnum Neapolitanum Gallis recuperandi Miſſa proinde ſub Duce Guiſio auxilia, Hiſpanorum rebus tamen non deſperatis, cum ipſa quoque Sicilia tumultuaretur. Sed partim perfidia Gallorum, partim ipſius multitudinis inconſtantia omnes hi conatus, quantumvis illuſtres, in irritum ciderunt. Mas Aniello conſpiratione quorundam in ipſo templo trucidatus: Populo confirmata privilegia. Sed necdum finis eſt papaverum eminentia capita decutiendi. Quotidie aliqui arripiuntur prætextu novæ conſpirationis ſpectante populo & pœnam ſtultitiæ ſuæ luente. Vere judicavit *Trajanus Boccalinus* Neapolitanus propter tantam erga Principes ſuos perfidiam omni libertate indignos eſſe.

FLORENTIA.

PERIODUS PRIMA.

CANON. I.

Florentia *ſub ſtatu Reip. maximas mutationes ſuſtinuit.*

NUlla Reſpub. ſtatum turbulentiorem quam Florentia habuit, perpetuis agitata populi ac nobilium factionibus. Poſt A. 1250. ab Antianis ſumma cum poteſtate gubernata fuit. His abolitis ſucceſſerunt Boni Homines. Neque horum diuturna poteſtas. Suffecti A. 1282. Priores Artium, quibus A. 1287. *Capitaneus* dictus *Gonfalonerius*. Circa A. C. 1300. factiones Guelphorum & Gibellinorum, Alborum & Nigrorum, Plebis & Nobilium recruduerunt, & adeo collapſæ Reip. vires, ut A. 1311. Roberto Siciliæ Regi ſeſe ſubjiceret. Sed ne in ejus quidem fide ultra quinquennium manſerunt, & Florentini proprios iterum magiſtratus creare. Paulo poſt iterum crearunt Principem *Carolum* Regem Neapolis. Poſt cujus obitum recuperata libertate ſuis iterum exerceri turbis & factionibus, cum nunquam

quam inrer populum ac optimates conveniret. A. 1342. Gualtherius Gallus per tumultum creatus Princeps, cum dominationem affectaret, intra vertentem annum urbe ejectus fuit. Cumque finis nullus esset harum contentionum, tandem populus prævaluit, & adversam nobilium factionem oppressit.

PERIODUS SECUNDA.

I. Florentia *in Monarchiam mutata.*

Causa princeps illæ, de quibus diximus, factiones. Erat inter populares præcipius *Sylvester Medices*, Mercator prædives & præcipuus nobilitatis adversarius. Hujus posteri indies auctis opibus tandem plus quem regias sibi compararunt opes, & favore populi ad summam potentiam & dignitatem emerserunt. Occasio fuit exilium Cosmi Medicis. Cum enim is A. 1433. à factione Nobilium iniquo judicio oppressus ac in exilium pulsus fuisset, altero statim annò à sua factione revocatus, Principem totius Reip. se constituit, sed salva libertate, & obscuram hactenus familiam Mediceam ad illud fastigium erexit, in qua hodie par magnis regibus versatur. Hujus Nepos Lau-

rentius eadem moderatione & favore populi principatum tenuit, nequidquam reluctantibus Optimatibus, cum quo A. 1492. Pax Italiæ sepulta.

II.

Libertas improspere repetita.

Occasionem præbuit Petrus Medices *Laurentii* filius, qui cum præterito magistratu clandestinam cum *Carolo* VIII. Rege Galliæ transactionem inivisset A. 1494. reversus in Urbem deprehendit omnium animos implacabiliter à se abalienatos. Igitur sponte profugit, & à Florentinis hostis patriæ judicatus Principatu excidit. Libertas hæc duravit usque ad A. 1512. quo Medicei à Ferdinando Rege Hispaniæ restituti. Cum vero A. 1572. Roma à *Carolo* V. expugnata, & ipse *Clemens* VII. Pontifex ex familia Medicea captus à Cæsareanis fuisset, Florentini denuo libertatem auxilio Gallorum recuperarunt. *Clemens* VII. ut hanc injuriam ulcisceretur, mox cum *Carolo* V. hac conditione transegit, ut Florentiam domui Mediceæ restitueret; Idque factum A. 1530.

III.

III.

Florentia Magnus Ducatus est.

Recepta Florentia Alexander Medices A. CIↃ IↃ XXXV. Dux à *Carolo* V. creatus fuit. Ei intra biennium cæſo ſucceſſit Coſmus, qui ſumma prudentia Princeps Ducatum ſuum per univerſam Hetruriam late extendit, & A. 1569. *Pio* V. Pontifice Rex creatus fuit. Sed cum *Maximilianus* II. Imperator vehementer ſeſe opponeret, mutatus ille titulus in Magni Ducis nomen, & Medicei ab eo tempore Magni Duces Etruriæ ſive Thuſciæ ſive Florentiæ dicti. Huic ſucceſſerunt *Ferdinandus* I. *Coſmus* III. & *Ferdinandus* II. qui hodie rerum potitur.

HELVETIA.

I. *Helvetii Confederatam Rempublicam conſtituerunt.*

CAuſa fuit inſolentia Præfectorum, quos nomine Imperii conſtituebant Duces Auſtriæ. Cumque illi ex libera Imperii gente ſubditos proprios facere per vim conarentur, opponere ſeſe Helvetii, & primum inter ſe fœdus de pellendis Tyrannis pepigerunt tres Ruſtici, quorum quiſque ſuum

pagum in ſocietatem traxit. Ita A. 1305. Switz, Uri & Underwalden fœdus inieverunt. Cumque primi omnium eſſent Switſenſes, quicunque eorum federi accedebant, à vulgo Switſeri ſive Eydtgenoſſen dicti ſunt. His ordine acceſſerunt reliqui pagi A. 1332. Lucernates, A. 1351. Tigurini & Glaronenſes. A. 1354. Zugini & Bernates. Auſtriaci poſt ingentes ſuorum ſtrages, cum Helvetii miraculoſo ſucceſſu pro libertate ſua contra tyrannidem pugnarent, tandem ſubornarunt *Carolum* Audacem Burgundiæ Ducem, qui ingenti contra Helvetios moto bello tribus maximis præliis ab illis ordine profligatus & in ultimo quoque occiſus fuit. Sed quod Græcis poſt bellum Perſicum contra Xerxem, idem tunc Helvetiis accidit. Hactenus enim ignoraverant auri atque argenti precium, ſimulque voluptates omnes & luxum, tum vero ditati Burgundica præda inſoleſcere & ſtatim inteſtino bello collidi cœperunt. Ejus cauſa fuit iniqua prædæ diviſio. Nam urbes potiorem partem ſibi adſcribebant fraudatis paganis. Ab una parte Tigurini, Bernates, Lucernates: ab altera Suitſenſes, Urii & Underwaldii cum fœderatis quiſque ſuis ſtabant. Hoc diſſidium A. 1481. in fœdere Stanciano compoſitum fuit, quo decem loca certis

legi-

legibus ſeſe in perpetuum conjunxerunt. A. 1501. Baſilea & Schafhuſa: A. 1513. Abbatiſcella fœderi acceſſerunt. Ita in univerſum numerantur 13. pagi, ſive, ut vulgo appellantur, Cantones, quibus præterea ſeſe, ſed alio titulo, conjunxerunt *Conſtantia* ad lacum Acronicum: Sancti Gallenſes, Genevenſes, Rhæti, ſive Griſones, & Valeſii.

II.

Potentiſſimi Bernates ſunt.

Berna à Berghtoldo Duce Zaringiæ ante 4. ſecula exſtructa, inter omnes Helvetiorum pagos ampliſſimum territorium poſſidet. Præcipuum incrementum ſumpſit A. 1434. in bello Sabaudico, quod pro civitate Genevenſi contra Ducem Sabaudiæ Bernates geſſerunt, & omnem tractum, qui appellatur *pays de Van* ſibi ſubjecerunt.

CONFOEDERATUM BELGIUM.

PERIODUS PRIMA.

CANON. I.

Septē Provinciæ Belgii Remp. conſtituerunt.

VEra cauſa fuit, quod *Phil.* II. vi armata per Hiſpanos & alios peregrinos milites extorquere à Belgis voluerit, quod comitia Ordinum publicæ utilitati adverſari exiſtimabant. Occaſio fuit Inquiſitio Hiſpanica, Cauſa Inſtrumentalis & Impul-

ſiva Ordines Generales & Princeps Auriacus. Ita A. 1581. ſeptem Provinciæ Regi Hiſpaniæ ejuſque hæredibus omnem fidem & obedientiam ſolenniter abjurarunt, inſtituta Republica, de cujus ſtatu legi poteſt Commentarius de ſtatu fœderatarum Provinciarum Belgii.

PERIODUS SECUNDA

I. *Rex Hiſpaniæ in perpetuum his Provinciis renunciavit.*

FActum A. 1648. menſe Januario conſtituta inter *Philippum* IV. & Ordines Belgii perpetua pace.

REGNUM GALLIÆ.

CANON I.

Franci *Galliam mutarunt in Regnum* Franciæ.

DE prima Francorum origine certi nihil conſtat. Prima eorum mentio in tempora Imperatoris *Probi* incidit. Probabile autem eſt, varios populos à Romanis hactenus oppreſſos declinante Imperio ſeſe conſpiratione facta in libertatem vindicaſſe, & ab ea nomen *Francorum*, h. e. liberorum hominum

num accepiſſe, idque factum intra Caracallæ ac Probi ætatem. Complectebatur Francia *Chamavos, Vſipios, Tencteros, Dulgubinos, Bructeros, Anſibarios, Cattos, Cheruſcos, Chaucos, Chaſſuarios*, ut ex tabula itineraria, & aliis ſcriptoribus mediæ ætatis patet. Ita prima Francia complectebatur majorem Germaniæ partem & termini ejus ad Septentrionem Oceanus, ad Ortum, Albis & Sala, ad Meridiem, Alemannia; ad Occaſum, Rhenus. Atque hinc ratio reddi poteſt, cur Galli hodieque omnes Germanos appellent Alemannos; quia antiquis temporibus univerſa dividebatur in *Franciam* & *Alemanniam*. Inſulſe ergo Franci hodie negant, ſeſe origine Germanos eſſe, & hoc modo omnium Hiſtoricorum traditioni contradicunt. Primus Francor. Rex communi opinione cenſetur fuiſſe *Pharamundus*, quanquam potiori jure *Marcomiro* illa prærogativa debeatur, qui A.C. 418. Rex Francorum electus fuit, eique intra Annum defuncto ſucceſſit Pharamundus. Ad hujus tempora refertur origo legis *Salicæ*, cui tanquam unico fundamento innititur maſcula Regum Franciæ ſucceſſio. Sed nullis certis argumentis evinci poteſt Pharamundum ejus legis authorem fuiſſe, ac omnibus ſubductis rationibus probabilis eorum ſententia,
qui

qui ejus originem non ad certum aliquod tempus vel Authorem reſtringunt, ſed à longa conſuetudine paulatim in jus abiiſſe putant. Illud verum eſt, Salicam appellari hanc legem à *Saliis*, quadam Francorum gente inprimis celebri, qui ita videntur dicti, quod ſedes ſuas haberent ad flumen Saxoniæ, dictum *Salam*, vel ad *Iſalam*, ubi hodieque habemus *Trans-Iſalaniam*, & *Sallandiam*, id eſt, regionem *Saliorum*. Verba legis Salicæ hæc fuerunt, *In terram Salicam Mulieres non ſuccedant*. Excludebat ergo fœminas ab univerſa hereditate, omnemque ſucceſſionem ad ſolos maſculos reſtringebat. De hac lege poſt multa ſecula graviſſimæ ortæ ſunt controverſiæ, inter Anglos & Gallos. Negant enim Angli, ullam unquam fuiſſe Legem Salicam, & eam merum figmentum eſſe *Philippi Valeſii* dicunt. Hinc illa jocoſa. Interrogatus à Pontifice quodam Gallus, ubinam ſcripta inveniretur Lex Salica? reſpondit, ab altera parte donationis Conſtantini. Et Anglus, dicente Gallo, ſe neſcire, ubi ſcripta eſſet Lex, qua excluderetur à ſucceſſione in Regnum Galliæ is, qui natus eſſet extra Regnum, Invenies, inquit, illam ab altera parte Legis Salicæ. Sed fuiſſe revera Legem Salicam ante *Philippum* Valeſium ex eo patet, quia

tet, quia

tet, quia ſæpius Regiæ filiæ à ſucceſſione in Regnum excluſæ, fuerunt, quod fieri non potuiſſet, niſi per Legem aliquam, ſive Conſuetudinem. Sed cum Lex Salica in univerſum omnes fœminas excluderet, illa nimis lata conſuetudo, tanquam iniqua, & impia abrogata fuit primo in *Allodialibus*, deinde etiam in feudalibus bonis, quæ hodieque apud Gallos deficientibus maſculis devolvuntur ad fœminas. *Pharamundi Succeſſor Clodio Comatus* ſedem ſuam habebat in caſtro Thuringię Disberga, ex quo patet Thuringiam illis tribus à Sala uſque ad Rhenum extenſam fuiſſe. Sub eodem *Franci* in Galliam Belgicam irrumpentes. Cameracum, Atrebatum, & reliqua uſque ad *Somam*, Romanis eripuerunt, ſed ab *Aëtio* & *Majorano* Ducibus Roman. iterum ejecti, antiquas in Germania ſedes repetierunt.

II.

Merovingi apud eos primo regnarunt.

Ab A.C. 450. ad Annum 750. ita ut pręciſe 300. annos expleverint. Conditor hujus familiæ fuit *Meroveus*, qui trajecto Rheno ſedes cum ſuis *Francis*, ad Axonam fluvium poſuit. Inde permixtus Gallis Roma-

nam linguam cum Germanica, qua Franci utebantur, in eam faciem corrupit, quæ hodieque recepta eſt. Hic Meroveus cepit Tornacum, Cameracum, Rhemos, Sueſſiones, Aurelianum, Coloniam Agrippinæ, ac pene totam Galliam regno ſuo adjecit. Sub ejus filio Clodoveo longe majora incrementa regnum Franciæ ſumpſit, qui cunctis inter Sequanam, Rhenum & Ligerim oppidis potitus Romanorum dominationi in Gallia finem impoſuit, ac præterea Thuringiam, Alemanniam, Burgundiam, Aquitaniam & Gothiam Gallicam ſibi ſubjecit. Primus etiam Francorum regum Chriſtianam fidem amplexus eſt, ac regnum maximum & latiſſimum ſi iis ſuis ſibi ſuccedentibus reliquit, nimirum univerſum Rheni tractum, ab ipſis fontibus ejuſdem uſque ad Oceanum cum omnibus regionibus in ripa Gallica ſitis, & trans Rhenum ipſam Alemanniam uſque ad Sueviam, atque inde ultra Danubium, Rhætiam, cum Nigra Sylva, vulgo Schwartzwaldt & lacu Brigantino, Algoya, & parte Helvetiæ inter Rhenum ac Urſam amnes, Franciam præterea Orientalem i. e. *Auſtraſiam* & *Thuringiam*. Hæ regiones uno nomine appellabantur Francia, & medio Rheno dividebantur in duas partes, quarum Occidentalis, Weſtraſia, item-

itemque Neuſtria, & à ſermone Latino Romania, Orientalis vero appellabatur Auſtraſia ſeu Francia Teutonica, quæ appellationes frequenter occurrunt apud Ottonem Friſignenſem, Gottfr. Viterbienſem, Gregor. Turonenſem, & alios ejus ætatis ſcriptores.

III.

Diviſum Regnum in 4. regna fuit.

1. Prima diviſio facta fuit poſt obitum Clodovei A. 514. Cum enim quatuor reliquiſſet filios, in totidem partes Regnum diviſum fuit. 1. Regnum Franciæ, cujus ſedes Lutetia Pariſiorum. 2. Regnum Belgicæ, cujus ſedes Urbs Sueſſionum. 3. Regnum Aurelianenſe. 4. Regnum Auſtraſiæ, cujus ſedes urbs Mediomatricum, ſeu Metz. *Theodoricus* Auſtraſiæ R. Anno C. 527. etiam regno Burgundiæ, quod magnam partem Gartem Galliæ Lugdunenſis complectebatur, potitus fuit. Extinctis tribus fratribus ſine prole maſcula ſuperſtes ſolus *Clotharius* Rex Sueſſionum univerſa iterum Francia potitus fuit. A. C. 558.

2. Eo exſtincto A. C. 564. ſecunda diviſio regno Franciæ in eaſdem quatuor partes facta fuit, niſi quod Burgundia regno Aurelianenſi acceſſit, donec A. 568. *Clotha-*

tharius II. extinctis fratribus ſuis iterum Monarchia Franciæ potiretur, à quo tempore aliquoties Regnum Franciæ diviſum fuit in 2. duo regna Auſtraſiæ & Franciæ. Ex regno Auſtraſiæ ſola hodie ſupereſt Auſtria, quæ nomen illud retinuit.

IV.

Merovingi à Majoribus Domus poteſtate & regno exuti ſunt.

A. 687. primo in Gallia inſtituti fuerunt *Majores Domus*: quod officium complectebatur totam poteſtatem regiam præter titulum & coronam. In eorum manu & pax & bellum: ac qui ab eo tempore regnaverunt reges non niſi titulo tales fuerunt. Quod ergo ſub *Caliphis Saracenorum* fuerunt Sultani, hoc in Gallia Majores Domus, qui poſtea ſub *Carolingis* dicti fuerunt Comites ſtabuli, ſed paulatim omnem ſuam poteſtatem ita amiſerunt, ut nihil præter nomen ipſis reſtaret, quod ſuperioribus annis omnino concidit Maximus ex his majoribus Domus fuit *Carolus Martellus*, princeps omnium, quos Gallia unquam habuit, pugnaciſſimus, *Caroli* Magni avus, qui multoties oblatum titulum Regis animoſe contempſit, dicens,

malle

malle se Regis Dominum quam Regem esse. Ultimus *Merovingorum* Regum fuit *Chilpericus* IV. cognomine stupidus, qui à *Zacharia* Pontifice R. exauctoratus ac in cœnobium detrusus fuit. Atque ita regnum à Merovingis ad *Corolingos* translatum fuit. Quod exemplum Pontifices R. imposterum in consequentiam traxere, ac penes se esse Reges creare & deponere hujus facti argumento asseruerunt. Præcipue tamen in causa *Henrici* III. quo nemo Regum Galliæ fuit similior Chilperico. Hæc regni à Merovingis ad Carolingos translatio tanquam fundamentum Pontificiæ potestatis habitum fuit.

V.

Regnum Galliæ sub Merovingis diu fuit electivum.

Hæc est sententia Hottomanni sive potius Philippi Marnixii, Domini de Sancta Aldegonda, qui censetur esse author Vindiciarum contra Tyrannos, quæ editæ sunt nomine Stephani Junii Bruti, eamque probat ex Gregorio Turonense & Aimonio, à quibus dicitur Pharamundus electus, itemque *Pipinus* ejusque liberi *Corolus* & *Carolus Magnus*. Præterea ipsos Ordines Gal-

liæ

liæ poteſtatem habuiſſe abdicandorum Regum. Ita Childericum propter flagitia & libidines publico conſilio regno expulſum, itemque Childericum alium Anno C. 578. *Theodoricum* A. 657. & A 890. Ordines neglecto Carolo *Ludovici* Balbi filio elegerunt Ottonem. Hanc ſententiam confutat Bodinus 6. de Rep. cap 5. productis ex Agathia & Cedreno, ſcriptoribus Græcis, rationibus. Sed profecto teſtimonia illa paulo longius petita ſunt, ac niſi ex Gregorio Turonenſe & Aymonio antiquiſſimis ac indigenis Francorum hiſtoricis probari poſſit regnum Galliæ ſub Merovingis fuiſſe hereditarium, fruſtra ad Græcos, quorum in rebus Germanicis & Gallicis pudenda ignorantia eſt, provocatur. Ipſe Bodinus præclarum argumentum ſuppeditat antiquæ regum apud Gallos electionis ex archivis Rhemenſis *Bibliothecæ*, in quibus traditur duos Epiſcopos Laodunenſem & Balluacenſem rogare populum in regis coronatione ſolitos, num regem initiatum regnare velint, & reſponſum uno ore omnibus ter acclamantibus, Laudamus, Volumus, Fiat. Nam quæ Bodinus ad enervandum hoc argumentum profert, non expediunt ipſam difficultatem, ſed omnino comprobant regnum Franciæ fuiſſe aliquando electivum. Cur enim alias rogare-

rogaretur populus proculdubio ex antiquiſſima formula, Num velit regem regnare? Cur itidem acclamarent illi, Laudamus, Volumus, Fiat: quæ de ſimplici approbatione vel etiam voto accipi non poſſunt. Præterea ipſe mos creandi primos Francor. Reges oſtendit regnum illud ſub initia electivum fuiſſe. Quippe Rex novus ſcuto militari impoſitus ac humeris ſublatis oſtendebatur populo, quem ritum omnes ſcriptores antiqui vocant electionem. Quod quidam dicunt electionem in illo caſu accipi pro elevatione, id & abſurdum & plane inuſitatum eſt, inprimis ridicula probatio, quam adfert Arniſeus ex Annalibus Germanicis, in quibus dicitur ad Annum 1077. Rudolphus indigena Sueviæ in regem elevatur, quod ille putat perinde eſſe, ac in regem eligitur, id quod extra controverſiam eſt: ſed contra ipſum manifeſte pugnat. Si enim perinde eſt elevari ac eligi: E. priſci Gallorum Reges elevati, fuerunt quoque electi. Huic ergo reſponſioni tanquam inutili ſubjunxerunt aliam, nim: electionem illa ætate acceptam eſſe per approbationem, ad quod probandum producunt Canonem *Concilii* III. Toletani, cujus hæc ſunt verba: Si quis ad regię majeſtatis ambit pervenire faſtigia, quem nec electio omnium præficit, nec *Gothicæ*

gentis

gentis ad hunc apicem attollit nobilitas, ſit conſortio Catholicorum privatus: quæ probatio iterum eſt infirma, cum certiſſimum ſit antiquum regnum Gothorum fuiſſe electivum; & ipſe Covarruvias ſcriptor Hiſpanus, Theologus ac ICtus ſummus hoc anathema accipit de libera electione regum Gothorom ante tempora *Pelagii* I. Ex quo Arniſeus perquam abſurde concludit, dicens, Si *Covarruvias* hoc anathema recte accipit de electione Regum Gothorum ante *Pelagium* I. tum ſequitur maledictos eſſe omnes reges, quicunque inde à Pelagio in Caſtilia, Luſitania, Aragonia, Navarra, Legione rerum feliciter potiti ſunt. Quaſi vero antiquæ Gothorum leges obligaſſent cunctos ipſos ſucceſſores, cum tamen *Rodericus* in fatali illa deſtructione regni Gothici ſuo ſepulchro & nomen & leges Gothorum intulerit. Sed, inquit Bodinus, vulgari proverbio dici Regem Francorum immortalem eſſe. Sed unde probabit hoc proverbium jam obtinuiſſe tempore Merovingorum, ac ut maxime id concedas, num vero conſequitur, quæcunque à vulgo dicuntur ſtatim vera eſſe, Sic vulgari proverbio dicitur, regem Francorum eſſe regem Aſinorum, neque tamen illud verum eſſe concedent Franci. Arniſeus his verbis concludit

cludit ſuum argumentum. Electionis ergo verbum per conſenſum interpretationes omnes Gallorum, ſeu Francorum Reges à ſtirpe ſucceſſiſſe, excepto eo caſu, quando neceſſitas ex electione remedium adferre cives coëgit. Cum autem nullum idoneum argumentum hujus acceptionis adferatur, nondum recedere poſſumus à propria acceptione vocabuli Electionis. Unum tantum ſupereſt argumentum pro hereditaria regum Franciæ ſucceſſione, quod nimirum multoties regnum illud inter filios æquali portione diviſum fuerit, cujus diviſionis argumenta ad Canonem præcedentem allata ſunt. Et verum quidem eſt diviſionem patrimonii proprium hereditatis conſequens eſſe. Non tamen omnis diviſio neceſſario & ſponte infert abſolutam ſucceſſionem. Quis enim ignorat plures interdum ſimul eligi reges? Ac ubi diſtincta regna ſunt: diverſos quoque eligere reges poſſunt. Sic olim Navarreni & Aragonii diſcordes ſeceſſione facta ſeparatos habere cœperunt reges eoſque electivos. Ita cum Auſtraſia, Burgundia, Neuſtria, & Francia ſeparata fuiſſent regna, aliquoties pro numero regiæ prolis diverſos ſibi præfecerunt reges.

FINIS PERIODI PRIMÆ.

Periodus Secunda.

I. *Sub* Carolo Magno *Regnum Franciæ florentissimum fuit.*

Conditor secundæ familiæ Regum Francorum fuit *Pipinus* cognomine *Parvus* seu brevis. Sed non ab eo, verum à filio *Carolo* denominata Dynastia fuit. Incrementum regni Francorum consistit primo in Italia, quam *Pipinus* evocatus à Zacharia Pontifice R. eripuit Longobardis. Secundo, in ipsius Imperatoris Romanorum diu desueto & tum demum revocato titulo. Tum enim inde usque ab A.C. 475. extinctum fuisset axioma Imperii Romani in Occidente. Carolus M. A.C. 800. ipso die nativitatis Christi Romæ à *Leone* III. Pontifice proclamatus fuit Imperator & coronatus acclamante populo R. *Carolo Augusto* à Deo coronato diu felici, vita, salus & victoria. Circa hunc actum magnæ occurrunt controversiæ. Pontifices enim Romani dicunt à *Leone* III. propria authoritate & potestate translatum fuisse Imperium Romanum à Græcis ad Latinos ac nomanitim Francos. Nam ut omittam, quæ Pontifices hinc inde usque à *Gregorio* VII. inique ac tyrannice propterea patraverunt contra Imperatores Roma-

Romanos, ausus adhuc fuit *Pius* V. superiori seculo ad *Maximiliannm* II. Imperatorem scribere, esse facultatem regios titulos conferendi Ecclesiæ, & ab ipsa in Germanos pervenisse imperium. Electores nullo jure nisi ex concessione Pontificis posse eligere Imperatorem: multos Imperatores à Pontificibus promotos, multos depositos, non esse rem novi exempli, ut regna à Pontifice modo dentur, modo auferantur. Et ante illa tempora *Thomas* de Aquino scripsit: *Tantum in Germania duraturum Imperium quantum Romana Ecclesia expediens judicaverit*, quæ adeo falsa sunt & tam male deducuntur ex coronatione *Caroli M.* ut plane contrarium evidentissimum sit. *Carolus* enim Magnus suis armis ac victoriis Germaniam, Italiam ac magnam Hispaniæ partem domuit. Ejus majestatem comiter colebant, quotquot Regum in Europa erant, adeo ut à Persis quoque & Afris legati ad eum cum preciosis donis mitterentur. Cum ergo ad tantam pervenisset potentiam, præclarum consilium cepit fractas Imperii partes iterum conjungendi per conjugium cum Irene, Constantini *Leonis* IV. Imperatoris Constantinopolitani vidua. Ac jam res transacta erat per tabulas clandestinas, cum Græci Proceres, inveterato contra Latinos

ac præcipue Francos odio refragari & tanquam induceretur patriæ ſervitus ab extera Francorum gente, Irenem ipſam imperio amovere & totum *Caroli* Magni negocium diſturbare. Non tamen *Carolus* depoſuit cogitationes de, Imperio per Occidentem inſtaurando, cum noſſet populi R. eo ſpectare vota & ſuffragia, nec Pontificis Romani aliæ in toto illo negocio partes fuerunt, quam *Miniſteriales*. Coronavit ille Imperatorem tanquam Epiſcopus Eccleſiæ, non vero eum creavit tanquam Dominus Romæ vel Italiæ, & extant hodieque epiſtolæ *Leonis* Papæ ad *Carolum Magnum*, quas primum evulgaverat Matthias Flaccius Illyricus. Sed ante aliquot annos demum ex antiquiſſimis membranis edidit *Hermannus Conringius*, ex quibus patet *Leonem* III. ſibi haudquaquam arrogaſſe aliquod Jus vel Imperium in Carolum M. cum illum ubique humillimo obſequio colat ac veneretur. Præterea conſtat ex omnium hiſtoricorum fide Pipinum patrem *Caroli*, ipſumque *Carolum Exarchatum* Ravennæ aliaſque per Italiam urbes liberaliter donaſſe Pontifici Zachariæ & *Leoni*, ſed hac conditione, ut jura majeſtatis ac poteſtas eligendi Romani Pontificis penes ipſos eorumque poſteros remaneret, quibus rebus, inquit Bodinus,

non

non modo libenter Pontifex annuit, ſed etiam ut Pipinus Imperatorem ſe appellaret, pene perſuaſit. Qua ergo cum impudentia aſſerunt Pontificii ſcriptores penes ſe fuiſſe jus transferendi Imperii, qui tamen ante tempora Pipini ne oppidulum quidem proprio jure ac dominio poſſederunt, ſed omnia ſua incrementa, opes ac poſſeſſiones & ipſum illud Divi Petri patrimonium Carolingorum liberalitati debent. Hæc ergo eſt illa donatio, quam Canoniſtæ plus quam Diabolica malitia transformarunt in donationem Conſtantini Magni, eamque tot fabulis, tot mendaciis exornarunt, ut Batrachomyomachia Homeri longe majorem fidem mereatur. De *Carolo* M. obſervandum contra temerariam Gallorum negationem eum & nativitate, & habitatione, & lingua & moribus fuiſſe Germanum, quod ſumma malitia negat Bodinus c. 7. methodi hiſtoriarum cui non alium opponimus teſtem, quam ipſius *Caroli* M. Cancellarium atq; etiam generum Eginhardum ſcriptorem vitæ *Caroli* Magni, ex quo luce meridiana clarius eſt *Carolum* M. fuiſſe Germanum, ac totam fere ętatem ſuam tranſegiſſe *Aquiſgrani*, vel Ingelhemii prope Moguntiam, ut omnino *Carolus* M. poſſederit Imperium, non tanquam Rex Francorum, verum ut Rex Occi-

dentis, neque dici debet translatum Imperium à Francis ad Germanos, cum æquali jure participaverint de eo & Germani & Franci. Observandum quoque regnum Galliæ sub Pipino, *Carolomanno* & *Carolo* Magno fuisse electivum, idque confitetur Bodinus, cujus verba sunt libro 6: c. 5. Siquidem *Carolus* primum dein *Carolomannus*, uterque Pipini filius, nobilitatis suffragio reges creari voluerunt, id fecisse constat, ut Imperium adversus Meroveorum reliquias, potentiorum opibus & gratia tuerentur. Quocunque fine id fecerint, satis est eos regum creandorum potestatem detulisse ad Proceres, si potiorem censuissent successionem hereditariam nunquam id facturi. Habuit ergo regnum Galliæ sub *Carolo* Magno summum suum fastigium, ac mox eo extincto declinare, contabescere, denique & emori familia *Carolingorum* cœpit, ut quod *Alexander* Magn. Macedonibus suis, idem *Carolus* Gallis fuerit. Sub eo regnum Galliæ sincere factum fuit hæreditarium una cum toto Imperio: Germania & Italia, ac omnia privati instar patrimonii inter filios ejus ac successores per lubitu profusa. Præterea accessit ratio Galliæ per *Carolum* M. Saxonia victo Wittekindo: Bavaria, Thassilone in monasterium detruso, quæ duæ regio-

gio-

giones ab eo tempore duces vel etiam reges ex domo Francica habuerunt.

III.

Plerique per Galliam, Belgium & Germaniam principatus ab illis conditi.

Carolus M. Wittekindo ultimo Saxonum regi ad fidem converſo Ducatum Saxoniæ, Weſtphaliæ & Angriæ dedit, ex quo comitatus Oldenburgenſis & alii quam plurimi orti ſunt. In Gallia *Thurſinus* Ann. C. 779. Comes Tholoſæ, Burdegalæ, Narbonæ & Provinciæ factus eſt, ex quo deſcendere Comites Pictonum, Phocenſium, & Caſtelli boni. Pannoniam filio ſuo *Carolo*, Italiam Pipino & Bernhardo utramque regni titulo attribuit. Sub *Lothario* II. regnum Auſtraſiæ appellari cœpit Lotharingia quæ etiam diviſa fuit in comitatum Burgundiæ & Arelati. Sub *Carolo Calvo* comitatus Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Geldriæ, & regnum Provinciæ, itemque Ducatus Forii *Iulii, Spoleti* &c. initium habuerunt. Atque ita plerique Principes originem ſuam referunt ad tempora Carolingorum.

IV.

Duodecim Pares ac Parlamenta ſub iiſdem originem habuiſſe videntur.

Ita vulgo tradunt,& Pipinus *Caroli* M. Pater Parlamentum Pariſienſe inſtituiſſe dicitur, *Carolus* M. 12. Pares Franciæ, quorum ſex eccleſiaſtici, Remenſis, Laodunenſis, Lingonenſis, Bellovacus, Noviodunenſis, Cataulonenſis,ſex ſeculares Burgundus,Normannus, Aquitanus Duces, Flander,Campanus, Tholoſanus Comites. Sed ex ipſa enumeratione patet, longe poſteriorem eſſe horum originem.Neque enim tempore *Caroli* M. ullus Burgundiæ vel Normandiæ Dux, neque Comes Flandriæ vel Campaniæ fuit, ut omnino ſtatuendum ut originem & Parium & Parlamenturum longe eſſe recentiorem. Conſtat ſub Merovingis atque etiam *Carolingis* magnam comitiorum in Francia authoritatem fuiſſe, adeò ut *Hottomannus* in *Franco-Gallia* multis argumentis oſtendat reges Francorum antiquos nullam habuiſſe partem niſi in comitiis.Quam diu floruerunt comitia vel nullus vel rarus uſus Parlamentorum & Parium fuit,ut origo eorum referenda demum videatur ad Tertiam Periodum & familiam Capetingorum.

V.

Decreverunt Carolingi *divisione regnorum, mutuis dissidiis & propria ignavia.*

Extincto *Carolo* M. successit *Ludovicus, Pius*. qui A. C. 817. inter tres filios regnum divisit, ita quidem ut *Lotharius* Francorum *Pipinus* Aquitaniæ, *Ludovicus* Bojariæ & Germaniæ reges fierent. Sed duo posteriores hac divisione non contenti An. 838. fratrem suum *Lotharium*, post gravem illam in pago Altissiodorensi pugnam ad novam & secundam divisionem adegerunt, & ipse *Ludovicus* Pius collegio Episcoporum ab imperio spoliatus & in carcerem conjectus fuit, donec à Principibus in integrum restitueretur. Ab eo tempore Francorum regna variis divisionibus exorta, hæc fuerunt, Regnum *Franciæ, Neustriæ, Lotharingiæ*, Burgundiæ, Austrasiæ, Aquitaniæ, Bojariæ, Germaniæ, Italiæ, Saxoniæ, Provinciæ, donec tandem omnia sub *Carolo* III. Crasso iterum conjungerentur, qui primus post *Carolum* Magnum Galliæ, Germaniæ, Italiæ R. & Imperator fuit. Eo extincto divelli iterum ac dilacerari Monarchia Francorum in 6. partes. Nam *Arnulphus* Germa-

niam ac Imperium occupavit, *Berengarius* & *Guido* Italiam, Burgundiam *Rudolphus*, Belgium *Rudolphus*, *Provinciam Guido*, Aquitaniam *Otto*, & ab eo tempore *Carolingi* quasi decursa periodo sua marcescere, ac primo quidem amittere Germaniam ac Imperium, quod post obitum *Ludovici* IV. ad *Conradum* Ducum Franconiæ Orientalis delatum fuit, à cujus etiam tempore apud Germanos perduravit. Fuit ergo varia & plerumque misera *Carolingorum* post obitum *Caroli* M. fortuna, cum Normanni, Hungari, Slavi invasiones horrendas quotannis facerent, & ipsi mutuis sese conficerent bellis: inter quæ gravissimum illud fuit, quod inter tres filios *Ludovici Pii* pro divisione regnorum gestum fuit. Nam unico prælio totius Franciæ nobilitas periit, neque recuperare imposterum antiquam fortunam ulla ratione potuit.

VI.

Sub Carolo *Simplice ortus est comitatus Frisiæ.*

A. C. 913. Quod supra origo comitatus Hollandiæ relatus fuit ad tempora *Caroli* Calvi & Annum Christi 863. ex opinione recepta eaque falsa est. Demonstrant enim ex publicis tabulis ac instrumentis

Ianu

Ianus Douſa l. 5. Bataviæ , & *Vbbo Emmius* l. 5. Hiſtoriæ Friſicæ Comitatus Hollandiæ originem non eſſe referendam ad *Caroli Calvi* ſed Simplicis tempora ; ſub quo *Dietericus* Vir Nobilis & ſtrenuus origine Friſius obtinuit comitatus titulo magnam antiquæ Friſiæ & Bataviæ partem , terras quotidianis Normannorum incurſionibus fere devaſtatas,eo fine ut defenderentur contra barbaros. Et notandum male vulgo appellari Comitatum Hollandiæ , quem *Carolus Simplex* Dieterico dedit, cum dicendus ſit Comitatus Friſiæ vel Weſtfriſiæ : quod Douſa loco citato & Heda in hiſtoria Ultrajectina probant. Ratio duplex , tum quia totus ille terrarum tractus ſub *Carolingis* Friſia dictus, tum quia omnes Comites à *Dieterico* I. uſque ad quintum ejus nominis,Friſiæ vel Weſt-Friſię Comites appellantur, ſub quo comitatu præter Friſiam Hollandia, Zeelandia, Trajectum & aliæ ditiones uſque ad urbem *Neomagum* cenſebantur. Nam *Neomagum* priſcus regni Friſiæ limes fuit,quod comprobatur ex vetuſto ſaxo,cui inſcriptum: *Hucuſque jus Stauriæ.* Vulgo dicunt *Stauriam* accipi pro tributo. Abſurde : Quis enim exiſtimet jus tributorum in Imperio Germanico vel *Francico* terminatum fuiſſe adNeomagum?Omnino

ergo Stauria urbem Frisiæ regni principem *Staveram* denotat, cujus hodieque superſunt reliquiæ. Atque hinc *Lambertus Schaffnaburgenſis* Rhenoburgum & Flardingam, recentioris Hollandiæ municipia, vocat Friſiæ urbes. Scripſit autem ille tempore *Henrici* III. Imperatoris, & *Hermannus* Contractus coævus *Friderico* I. Barbaroſſæ Trajectum urbem Friſiæ appellat. Videatur Lipſius lib. 1. Lovanii. Quod ſi jam Hollandiæ nomen tempore *Caroli Calvi* vel Simplicis fuit, id potius Normannis quam Friſiis adſcribendum erit. Quippe conſtat à Danis utrumque nomen & Hollandiæ & Zeelandiæ fluxiſſe, in quorum regno hodieque extant cognomines provinciæ Hollandia & Zeelandia, Zeelandos eſſe coloniam Danorum egregie probabit M. Zuerius *Boxhornius*.

VII.

Britannia ſub Carolingis *ex regno in Comitatus ac Ducatus formam redacta fuit.*

Armorica Veteris Galliæ provincia tempore *Valentiniani* III. vel, ut alii volunt, *Gratiani*, incolas ex Britannia accepit tum à *Maximo* tyranno evocatos, tum ab Anglo-

glo-Saxonibus pulsos. Hi Britanni regnum condiderunt in Gallia, quod Minor Britannia appellatur. Primus Rex circa A. C. 380. fuit *Conanus*, à quo longa serie in Britannia Gallica usque ad A. C. 300. regnatum, ea tamen conditione, ut hi Britanniæ Minoris Reges essent Vasalli Regum Franciæ, à quibus multoties defecerunt. Controvertitur inter Historicos, Regesne Britanni habuerint, an vero Duces. Dubium movet *Gregorius Turonensis* scriptor ea in re fide dignus, quippe qui ipsius Britanniæ Archi-Episcopus fuit, & jura illius regni nec potuit, nec debuit ignorare. Is lib. 4. Hist. Francicæ cap. 4. ita inquit: Semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Clodovei fuerunt, & Comites, non Reges appellati sunt. Obiit autem Clodoveus A. 511. Huic repugnant tot alii Historici, *Sigebertus* Gemblacensis, *Lambertus* Schafsnaburgensis, *Otto* Frisingensis Regino, Chronicon Fuldense, & alii multi, qui Reges Britonum usque ad A. C. 900. recensent. Solutio facilis: Gregorius Turonensis loquitur de stylo Curiæ Francorum, in qua Principes Britonum non nisi Comites appellati: cæteri scriptores loquuntur secundum stylum curiæ Britonum, qui suum Principem appellarunt Regem. Et hoc non

esse inusitatum multis exemplis ostendi potest. Ita Princeps Russorum à Russis non nisi Magnus Dux appellatur, Livones autem eum vocarunt Regem, quod testatur Sigismundus Baro Herberstenius. Ita Vandalorum & Normanorum Principes indifferenter ab hoc Reges, ab alio Duces appellantur. Post tempora Alani, qui ultimus fuit Britonum Rex, successerunt Comites ac dein Duces, qui durarunt ad A. C. 1500.

PERIODUS TERTIA.

CANON I.

Capetingi hodieque regnant.

SUb ultimis *Carolingis*, orti ex posteris Wittekindi Ducis Saxonum *Hugo* Magnus & *Hugo* Capetus, Comitatum Parisiensem obtinuerunt, cujus ea fere fuit Potestas, quæ olim sub *Merovingis Majorum Domus* seu Comitum stabuli. Hugo Magnus ille est, à quo derivatum fuisse Hugonottarum nomen *Thuanus* & *Strada* tradunt. Post obitum ergo *Ludovici* V. seu potius VI. *Hugo* Capetus Comes Parisiorum exclusa *Caroli* Magni stirpe regnum Franciæ invasit. Restabant ex *Carolingis* duo adhuc *Carolus* Dux Lotharingiæ & filius ipsius *Otho*, quibus duplici prælio vi-

ctis

ctis regni possessionem ademit Capetus. Atque hinc est, quod hodieque Lotharingiæ Duces se veros *Caroli* Magni successores, atque etiam legitimos regni Galliæ hæredes jactant, contra vero omnes Capetingos pro invasoribus & Tyrannis habent; de qua controversia stante adhuc Ligua, & florente Guisiorum potentia sub *Henrici* III. integri editi fuerunt libri, neque aliunde fluxit humanitus loquendo ipsa *Ligua* & Hugonottarum per Galliam factio, quam ad reprimendam hanc antiquam *Carolingorum* prætensionem. Quippe cum jam fere extincta Valesiorum familia soli ex *Capetingis* restarent Bourbonii, inter ipsos ac Guisios *Carolingos* ortæ fuerunt æmulationes de successione in regnum. Guisii Pontificem Romanum, Hispanum aliosque Principes Pontificios in societatem suam asciverunt. Bourbonii, quorum caput *Ludovicus* Princeps Condeus, itemque Henricus tum temporis Rex Navarræ ad partes Protestantium ac Hugonottarum se contulerunt. Tantas controversias etiam antiquissima aliqua injuria in regnis hæreditariis excitare potest.

II.

Sub iis comitiorum authoritas abolita.

Fatetur hoc *Hothomannus* cap. 17. Fran-

co-Galliæ, idque refertur ad ipſum Hugonem Capetum, quem ferunt, quod videret illa regna, quæ nimium indulgent comitiis plerumque ad Ariſtocratiam delabi, paulatim enervaſſe jura comitiorum. Sed ſi credimus *Philippo* Comineo, qui non potuit eſſe peritiſſimus rerum Gallicarum, res longe aliter ſe habet, & Comitiorum authoritas uſque ad tempora *Ludovici* XI. integra ſtetit. Verba Cominei lib. 9. Commentariorum hæc ſunt: Primus omnium *Ludovicius* XI. pro ſuo arbitratu pecuniam imperavit ſine conſenſu populi. Ut autem voluntate Principum ſibi liceret exigere pecuniam per ipſorum ditiones, promittebat eis penſiones annuas. Magnum ille profecto vulnus inflixit Galliæ, quod non facile curabitur, ſuæque & ſucceſſorum ſaluti male conſuluit. Nam priorum Regum nemo Galliam ſic affixerat, ut ipſe. Sunt & alia apud eum authorem loca, ex quibus patet, magnam adhuc Galliæ libertatem & ſatis ſtrictam Regum potentiam fuiſſe uſque ad tempora *Ludovici* XI. qui velut alter Tiberius peſſimis artibus evertit Parlamenta & Comitia. Inprimis memorabilis eſt locus Cominei: Haud dubie vero multum imminuta fuit poteſtas Ordinum inter bella Anglica, cum ingentibus præliis præcipuæ familiæ:

miliæ extinguerentur, remanentibus illis ſolum, qui vocantur Principes Sanguinis, quibus cum agnatum ſit jus ſuccedendi in regnum, non pręſumuntur quidquam quod ad diminutionem poteſtatis regiæ ſpectat, affectare vel conſentire velle. Succeſſerunt in locum comitiorum velut ludibria quædam 12. Pares & Parlamenta. Ac quam recens ſit Parium Franciæ ordo exinde colligitur, quod eorum vix ulla mentio occurrat ante tempora *Philippi* II. & *Philippi* III. id eſt, A. C. 1100. ac nonnulli Franciæ hiſtorici inſtitutionem Parium referunt ad tempora *Ludovici* VII. & A. C. 1179. Utcunque autem origo Parium ſe habeat, id ſatis conſtat; non adeo magnam eorum fuiſſe authoritatem: & inſervire potius Regum libidini, quam iiſdem adverſari ſolebant, ut nimirum haberent inſtrumenta ſervitutis etiam Principes. Videndum nunc an major Parlamentorum fuerit authoritas. Principio non eſt judicandum ex ipſa voce, & Parlamenta, prout hodie obtinent, vix umbram priſcæ libertatis retinuerunt. Alia longe ratio eſt Parlamentorum Angliæ, penes quæ ſumma totius regni poteſtas eſt: quæ non ſunt ſtata, ordinaria vel ulli loco aut ordini hominum affixa, ſed libere ex tota univerſitate à ſolo populo viritim eliguntur.

tur. At vero Parlamenta Galliæ nihil aliud ſunt, quam Collegium J Ctorum, neque eliguntur à populo ſed à ſolo Rege, ſuntque curiæ ſtabiles ac perpetuæ ad controverſias potius privatas ac minores, quam regni negotia, conſtitutæ. Una autem ratio eaque validiſſima eſt, cur nullam ſibi adſcribere poſſint poteſtatem Parlamenta Galliæ, quia Regis ſtipendiarii ſunt. An enim credibile eſt Regem ſuis ſtipendiis ex infimo hominum Ordine conducturum, qui ſibi imperent & jura majeſtatis exerceant? Nam quod Bodinus Parlamenta Galliæ comparare audet cum comitiis Germanorum Principum, id adeo ſtolidum eſt, ut refutatione non indigeat. Hinc Parlamenta Galliæ ſunt nihil aliud, quam inſtrumenta Regum, per quæ pro lubitu poſſunt decipere populum. Quod Rex promiſit ratum non eſt, niſi confirmetur à Parlamento & quod Seges libenter vellent eſſe infectum hoc rejiciunt in Parlamenta Sic *Franciſcus* I. in Hiſpania captivus renunciaverat omni juri ſuo in Flandriam & Burgundiam. Eo vix dimiſſo Parlamentum Pariſienſi refragari, irrita Regis promiſſa pronunciare: adeoque fidem ſemel datam frangere haud invito *Franciſco*, cui nihil gratius accidere poterat, quam quavis recti ſpecie liberari à tam damnoſa con-

conditione. Igitur Reges Galliæ agunt & decernunt vel contra Parlamenta vel cum illis, prout commodum & utile. Sic *Henricus* IV, in causa pacificationis inter Hugonotas & Catholicos cum Parlamentum manibus pedibusque refragaretur exercitio libero utriusque religionis, respondit: Condidi edictum & volo ut id observetur: Mea voluntas vobis debet esse ratio. Ego nunc sum Rex, & loquor ut Rex & à vobis obedientiam ut Rex exigo. Secundo Parlamenta Galliæ prout hodie sunt à singulis denominata urbibus originem suam referunt ad tempora *Ludovici* X. Huttini & Anno C. 1314. Is primus Parlamentum Parisiis constituit, quæ plerumque ordinaria comitiorum sedes fuerat. Hoc exemplo per alias quoque provincias paulo post Parlamenta nata sunt, Burdegalæ in Aqitania seu Gasconia, Tholosæ in Languedocia, Gratianopoli in Delphinatu, Divione in Burgundia, Aquis Sextiis in Provincia, Rothomagi in Normannia, Rhennesii in Britannia. quibus tandem accesserunt duo Metense in Lotharingia, & Pavense in Bearnia. Hæc omnia Parlamenta ęqualem potestatem habent, nec unum alteri subjicitur, nisi quod major in Parisiensi authoritas propter ordinariam Regis præsentiam, urbisque & ditionis amplitudinem.

III. *Præ-*

III.

Præcipui hostes fuerunt primo Angli deinde Hispani.

1. Cum Normanni sub Wilhelmo Conquestore A. 1069. Angliam expugnassent, formidabilis eorum potentia regibus Galliæ esse cœpit, cum in Gallia amplissimum Normanniæ Ducatum tenerent. Cumque hæc insita mortalibus natura sit recentem aliorum fortunam ægris oculis introspicere, *Philippus* I. Rex Francorum prima belli contra Anglos initia fecit, quod acrius sub *Ludov*.VI.Crasso exarsit inter ipsum & *Henric*. I. Regem Angliæ. Initium tenue fuit, è ludo inter filios utriusque Regis ac mox pro unico oppidulo ortum. A quo tempore per quinque secula vel apertum bellum vel infida pax inter Anglos & Gallos fuit, incredibili cum Galliæ damno,cum Angli amplissimarum Normannię &Aquitanię provinciarum Domini facilem insuper exscensionem facerent, Galli vero vel nunquam vel rarissime pedem in Angliam inferre auderent, nisi quatenus Scotorum fœdere intromittentur. Hæc odia aucta fuerunt sub *Ludovico* VII. cum uxorem ejus *Eleonoram* Aquitaniæ hæredem propter adulterii suspicionem repudiatam *Henricus* II. Angliæ Rex.

Rex duxisset, atque eo matrimonio prętcr Normanniæ & Andegavi Ducatum tota insuper Aquitania potitus fuisset. Certum erat duas tam potentes Reges simul in Gallia regnare non posse. Ergo alter in alterius perniciem perpetuo intentus fuit. Hinc aucta per utrumque bellum rebellio, cum subditi ab uno ad alterum facile tutumque perfugium haberent. Conatus fuerat Pontifex Romanus hæc & alia Principum Christianorum dissidia expeditione sacra in Palæstinam vel sopire vel extinguere. Sed tum maxime animi inflammati sunt. Quippe cum *Phil.* II Gallię & *Richardus* I. Anglię Reges simul in Palæstinam profecti fuissent, ibi orta æmuliatione ad bellum gerendum in Europam reversi sunt. Prior *Philippus*, qui Richardo in reditu per Leopoldum Austriæ Ducem intercepto, Normanniam aliasque Anglici juris provincias impune occupavit, & universam Angliam misere conturbavit. maxime extincto jam Richardo, Cum enim I*ohannes* Arthurum Richardi fatris sui filium legitimum Ducatus Normanniæ hęredem nefarie obtruncasset, ac cæsi cadaver in mare abjecisset, *Philippus* II. Rex Franciæ eum tanquam vasallum suum ad causam dicendam Parisios evocavit: cumque in persona comparere nollet, condemnatus & omnibus

mnibus in Gallia provinciis ſpoliatus fuit. Quod eo facilius *Philippo* ſucceſſit, quoniam univerſa Anglia *Iohanni* tum temporis rebellabat, contra quem *Ludovicus Philippi* filius & poſtea VIII hujus nominis Galliæ R. à Baronibus Anglis ad regnum evocatus fuit. Sed hæc tamen præludia quædam fuere majoris alicujus belli inter utramque gentem, quod A.C 1336. inter *Philippum* Valeſium & *Edoardum* III. exortum fuit. Prætextus ejus lex Salica, de qua jam ſupra dictum Eam negabat Anglus, aſſerebant Galli. Sed Judex omni lege violentior gladius conſtitutus. Hoc bellum ad 200. annos varia viciſſitudine continuatum, & nunquam majores Gallia clades, quam in illo paſſa fuit. *Edoardus* inſignia titulumque regni Galliæ, ut Flandros in partes pertraheret, recepit. Pugnatum ad Sluſas Flandriæ oppidum navali prælio, in quo 30000. Gallorum mari hauſta ſunt. Succeſſit alia longe funeſtior ad Creſſiacum pugna, ubi itidem 30000. Gallorum occiſa, & tum præter magnam Galliæ partem Caletum quoque ab Anglis expugnatum. Levia hæc videbantur, niſi ſucceſſiſſet clades longe atrocior in Pictonibus. Ducebat *Ioh*. Francorum Rex ſexaginta millia pugnatorum contra *Edoardum Walliæ* Principem, in

cujus

cujus exercitu vix 8000. numerabantur. Deprecari conſcientia virium & infirmitatis ſuæ Anglus & tutum modo abitum omnibus reſtitutis petere: abnuere *Franci*. Igitur deſperatio in virtutem vertit, & Angli communitis tota nocte caſtris tanta fortitudine primum Gallorum impetum exceperunt, ut momento in fugam verſi ipſum Regem ſuum Johannem cum multa nobilitate captum relinquerent. Eo tempore quaſi nullus ſupereſſet Gallis Rex, omnia ſeditionibus, & Procerum factionibus implicata ſunt. Dimiſſus poſt longum carcerem *Iohannes*, *Pictones*, *Sanctones*, *Petrigorios*, *Lemovices*, *Pontiniacos*, Caletes cum comitatu Guinarum, Normannia inſuper, Andegavo, Turonibus & Aquitania, id eſt, plus quam dimidiam partem regni Galliæ *Edoardo* in perpetuum & abſoluto jure addixit, ac Galliam ſua præſentia utcunque refocillavit. Deprehenſum hactenus fuerat innumeris cladibus, nihil aperto Marte contra Anglos Galliam efficere poſſe. Ergo *Carolus* V. *Iohannis* filius depoſita pelle leonina vulpinam adſumpſit, ac plura non pugnando ſed literas ſcribendo, pacem faciendo, conſiliis, quam quiſquam regum in Gallia recuperavit. Senſit *Edoardus* III. hebetari vim armorum ſuorum, ac ſeſe armatum ab inermi,

mi, victorem à victo superari indoluit. Nihilominus tamen memor humanæ fragilitatis pacem Galliæ indulsit. Hic est ille *Carolus* V. qui Sapientis cognomen ac felicis jure meritoque tulit, sed successor ipsius *Carolus* VI. sua seu stultitia seu amentia (ut alii volunt) omnia iterum subvertit & amisit. Nam à Proceribus Gallis captus & *Henrico* V. Angliæ Regi traditus fuit, qui abusus seu captivitate seu stoliditate Regis ab eo impetravit, ut exheredato proprio filio *Carolo* VII. adoptaretur. Sic Regnum Franciæ in solidum ad Anglos pervenit, ac *Henricus* VI. Quinti filius, sexennis puer Parisiis in primario templo Franciæ Rex solenniter coronatus fuit. Ab eo tempore pessum ire res Anglorum in transmarinis regionibus, ac ipsum cœlum favere Gallis. *Carolus* VIII. quam Angli contemptim appellabant Regem Biturigum per *Iohannam* puellam Lotharingam, soluta Aurelianensis urbis obsidione, passim concidere Anglos, intestinis Lancastrensium & Eboracensium odiis distractos. Universam Franciam recepit *Carolus* A. C. 1450. ut nihil jam in continenti Anglis reliquum præter Caletum esset. *Carolus* appellatus Victor, Augustus, Patriæ liberator, & regni restaurator. Ab eo tempore Angli Gallia exclusi, quam interdum

terdum procul ostentatis armis terrere, nunquam vero ullam in eo recuperare provinciam, ac ne unicam quidem tueri urbem potuerunt. De Expeditionibus *Edoardi* IV. videatur Comineus. *Henricus* VIII. ultimus regum Angliæ A. 1514. cum exercitu in Galliam trajecit, sed nulla memorabili re gesta domum revertit, tandem A. 1559. *Franciscus* Guisiæ Dux brevissimo tempore Caletum regnante *Maria* expugnavit, tanto cum Reginæ *Mariæ* dolore, ut paulo post extincta fuerit. Tum temporis interrogatus à Gallo Anglus, ecquandonam reversuri in Galliam Angli essent? pie & prudenter respondit, Quamprimum nostris peccata vestra majora fuerint.

2. Quasi permutatione armorum facta Anglorum bellis Hispanica successerunt sub *Carolo* VIII. Francorum & *Ferdinando Catholico* Hispanorum Regibus. Occasio fuit expeditio *Caroli* VIII. in Italiam pro Regno Neapolitano suscepta. Cumque eodem tempore *Ferdinandus* capta Granada, & Occidentali India per Columbum detecta Monarchiam quandam animo conciperet, Galli omnibus modis sese his conatibus opponere & nolle pati superiorem, Hæc odia eo demum tempore summum incrementum ceperunt, quo per conjugium *Iohannæ*

cum

cum *Philippo Austrio Hispaniæ* Rege Burgundia totumque Belgium ad Hispanos pervenit. Hæc omnium bellorum prima causa, quæ jam 150. annis Galliam & Hispaniam colliserunt, inprimis tempore *Caroli* V. & *Francisci* I. *Henrici* II. *ac* IV. & *Phil.* II. denique *Ludovici* XIII. *ac* XIV. & *Phil.* IV.

IV.

Sub Philippo Valesio accessit Delphinatus.

Eo ipso tempore, quo maximas ab Anglis calamitates sentiebat Gallia, amplissimus Allobrogum principatus regno accessit, adverso quodam casu, qui Humbertum principem ejus ditionis afflixit. Habebat is unicum filium nomine *Delphinum*, qui repente extinctus, orbitatem Patri miseram, lætam *Philippo* Valesio successionem reliquit. Humbertus ea conditione principatum suum regno Galliæ adjunxit, ut primogenito filio ad perpetuam nominis sui memoriam nomen Delphino esset. Ipsa exinde regio Delphinatus dicta.

V.

Sub Carolo VIII. *Regnum Neapolitanum accessit.*

Inter omnes Regum Franciæ res, quæ recen-

ecentiori contigerunt memoria, maxime nemorabilis eſt expeditio Italica à *Caro-o* VIII. ſuſcepta. Antiquum in Neapolim us inde uſque à temporibus *Caroli* Andegavenſis prætendunt Reges Galliæ, quod inſtauratum fuit à *Iohanna*, quæ adoptavit *Ludovicum* Ducem Andegavenſem A. C. 1381. Sed hoc jus everſum fuit victricibus Arragoniorum Regum armis, qui ab eo tempore in Sicilia ordine & pacifice regnarunt uſque ad A.C. 1494, quo anno fatalis illa *Caroli* VIII. expeditio cœpit, quæ magnarum in Europa mutationum cauſa fuit. Non enim Neapolim modo, verum univerſam Italiam concuſſit, quæ undique à Tyrannis oppreſſa nihil aliud quam liberationem quocunque modo anhelabat. Atque hujus tempeſtatis varia præceſſerunt præſagia, & *Hieronymus* Savanarola Vir prophetico ſpiritu inſtructus expreſſe prænunciaverat adventurum Regem Galliæ. Locus memorabilis apud Comineum extat quinto Belli Neapolitani libro. Supra dixi, inquit, de *Hieronymo*, qui *Florentinis* inter alia multa prænunciaverat etiam de Regis *Caroli* VIII. adventu, quem excitatum eſſe dicebat à Deo, ut per vim & arma ſtatum eccleſiæ emendaret, ac ſimul Italiæ tyrannos mulctaret. Et quoniam divinitus ea ſibi monſtrata

esse dicebat, in plurimorum incurrebat reprehensionem, & lib. 3. *Hieronymus* prædixerat Galliæ Regem venturum esse cum exercitu, & excitatum à Deo, ut Italiæ Tyrannos mulctaret; ideoque fieri non posse ut ei resisteretur, Pisas quoque venturum dixerat, & fore ut Florentinæ Reip. status immutaretur, quod accidit profligato Petro Medices, de cujus etiam Patre *Laurentio* locutus antea fuerat Ad hæc divinitus sibi patefactum esse dicebat, oportere statum Ecclesiasticum per vim armorum emendari. Hic *Hieronymus* quia veritatem dixerat, paulo post combustus fuit. Venit tamen *Carolus* VIII. ut prædixerat, & prophetias ejus implevit. Passim ei apertæ fuerunt portæ, & incredibili cum exultatione populi exceptus fuit tanquam liberator ac instaurator Italiæ. Historia nota est ex Cominei quinque libris de bello Neapolitano, & inde quoque Thuanus historiam suam auspicatur. Intra aliquot annos omnia iterum amissa fuerunt, nec quidquam Gallis remansit præter ossa & reliquias exercituum suorum in Italia.

VI.

Sub Ludovico XI. *introducta servitus.*

Jam supra dictum fuit magnam olim regni

gni Galliæ libertatem fuiſſe, & mera adulatio eſt, quod multi recentiorum ſcribunt reges Galliæ ante multa ſecula abſolute imperaſſe. Audiamus Comineum, cui major debetur fides, quam mille adulatoribus. Verba ejus lib. 10. Comment. hæc ſunt: Sunt Principes, quibus hoc frequens eſt in ſermone, ut dicant, habere ſe privilegia, ut quantum velint, exigant à populo. Certe Galliarum Rex omnium minime cauſam habet, ut iſtud de ſe jactet. Nec enim vel ipſi vel cuivis alii licet. Qui vero comparandæ gratiæ cauſa poteſtatem hanc illi tribuunt, ii certe parum liberaliter agunt, & provide. Paulo poſt mortem *Ludovici* Regis convenerunt omnes Galliæ Ordines, ut de ſumma Imperii ſtatuerunt. Non deerant id temporis imperiti quidam & tenuis conditionis ac nullius uſus homines, qui dicebant ejuſmodi conventus ad crimen læſæ majeſtatis pertinere, quod regum imminuatur eo ipſo poteſtas. Verum qui ſic loquuntur, ſcelere ſe polluunt, graviſſimeque dubio procul & Deum & Remp. offendunt. Nam ejuſmodi voces ſolum ſpectant ad privatam utilitatem eorum, qui nullo ſuo merito vel virtute authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honeſtam idonei, clandeſtinis ſuſurrationibus Principum aures demulcent, & gratiam

eblandiuntur, qui conventus idcirco metuunt, ne ipſorum detegatur improbitas. Aurea hæc Cominei ſententia eſt, ex qua plus diſcas de ſtatu antiquo Galliæ, quam ex centum mendaciſſimis adulatorum chartis. Ac obſervanda inſuper hæc ejus verba. Non ſic loquebatur *Carolus* V. Galliarum Rex, neque vero aut *Ludovicum* aut ejus filium ſcil. *Carolum* VIII. qui nunc præeſt, ſed ipſorum familiares audivi non ſemel in eam loquentes ſententiam. Et prudenter quidem ipſorum judicio, ſed revera faciebant hoc partim adulatione, partim inſcientia rerum. Quibus autem artibus introducta in Galliam à *Ludovico* XI. ſervitus fuerit, ex toto Cominei textu notum eſt, idque recentiores Galliæ ſcriptores non diffitentur, qui expreſſe dicunt primum *Ludovicum* XI. authorem fuiſſe regiæ in Gallia libertatis ac poteſtatis, id eſt publicæ ſervitutis.

VII.

Sub Ludovico XII. *acceſſit Mediolanum.*

A. 1499. *Ludovicus* Morus Dux Mediolani ejectus, ac paulo poſt captus vitam in carcere finiit. Mox Mediolanum *Maximilianus* filius ejus recuperavit, & paulo poſt iterum

rum à Gallis captus in carcere quoque expiravit. A.1525. *Franciscus Sfortia* à *Carolo* V. in Ducatum Mediolanensem restitutus est, quo mortuo A. 1535. in potestatem Hispanorum pervenit, exclusis in perpetuum Gallis.

VIII.

In Henrico III. *extincti Valesii.*

Causa princeps fuit iniquissima fidelium persecutio, qua cœpta *Henr.* II. in hastiludio, *Franciscus* II. ulcere capitis, *Carolus* IX. sanguinis profluvio, *Franciscus Alenconius* mærore animi ac insania, *Henricus* III. ille lanienæ Parisiensis Architectus cultro Monachi confossus periit, ac intra paucos annos florentem Capetingorum domum infelici exitu terminavit. In summa Deus in familia *Henrici* II. horrenda iræ suæ argumenta edidit.

IX.

Post obitum Francisci II. *summa regni Galliæ conversio secuta est.*

1. A. 1560. emerserunt duæ per Galliam factiones Hugonotarum & Guisiorum. Nomen Hugonotarum primo auditum fuisse dicitur Cæsaroduni Turonum, impositum Protestantibus, ut supra dictum, ab Hugo-

ne Magno Comine Parisiensi, cujus nomine pro terriculamento puerorum per aliquot secula in Gallia usi fuerunt. Videatur Thuanus lib. 24. Histor. & Strada *Decade* I. lib. 3. Videantur etiam illa quæ supra ad Periodi secundæ Canonem ultimum dicta sunt. Religio ergo in duas divisit partes Galliam, quorum una antiquitate, & regis majorisque partis tum favore tum auxilio nitebatur, altera initio exiguis viribus, contempta, oppressa, ex ipsis calamitatibus incrementum sumpsit. Haud dubie *Caroli* IX ætas minorennis, tutela *Catharinæ* Mediceæ matris, Guisianorum authoritas, procerum inter se diffidia ac factiones, ingens gliscenti dissidio momentum addiderunt. Qui ergo hactenus occultati per familias, ac incogniti latebant, in Principis Condei, aliorumque Procerum tutelam recepti, prodire in publicum, causam suam defendere, ac, siquidem vis ingrueret, arma ostentare. Accedebant Elisabethæ Anglorum Reginæ, Principum insuper Germaniæ, I*ohannæ* & *Henrici* Navarræ regum, denique provinciarum Belgicarum eandem ob causam tumultuantium promissa auxilia. Ita aliquandiu mutuo metu partium Gallia utcunque in pace conservata. Mox *Iacob* Esavum supplantare, ac duæ hæ factiones non jam de gloria, sed de salute certare.

2. Igi-

2. Igitur Anno 1569. 3. Februarii *Carolus* IX. cum Matre *Catharina* Medicæa ab una,& *Isabella Hispaniæ Regina, Philippi* II. uxor, & *Ferdinandus* Toletanus Dux Albæ ab alterâ parte Bajonæ in Gasconia convenerunt. Summus ac præcipuus scopus erat, consilia ac potentiam utriusque regni, pro opprimendis per Galliam Hugonotis, per Belgium Geusiis, per Germaniam Protestantibus, capere. Atque hic conventus veluti malignorum siderum constellatio fuit, ex quo horrenda paulo post bella, omni pacis ac concordiæ spe abrupta, occasionem sumpserunt. Videarur Strada Dec. 1, l. 4. *Thuanus* lib. 3. 6. Cum quotannis per Galliam novum sive bellum sive Pax esset, ac utriusque partis æque magno cum damno pugnaretur, duo pro enervandis Hugonotis consilia prævalere visa sunt, sive ut instituto colloquio erroris convincerentur, sive ut, pace facta, spe amplissimorum præmiorum inescati repente omnes obtruncarentur. Institutum ergo fuit colloquium Possiacenum A.C. 1561, in quo præcipuæ partes Cardinalis Lotharingi & *Theodori Bezæ* fuerunt. Aderat Rex, Regina Mater, omnium procerum ac totius aulę splendor. Beza quasi *Paulus* aliquis coram Festo & Agrippa causam Euangelii tanta cum spiritus divini vehe-

menta defendere, tanto eloquio exornare, ut nemo adverſariorum dicentis ſuſtinere vim, vel refragari poſſet. Ac profeſſus ipſe Cardinalis Lotharingus fuit, optare ſe aut mutum in illo conventu fuiſſe Bezam, aut, qui aderant, omnes ſurdos. Eventus colloquii hujus longe alius fuit, quam ſibi promiſerant Pontificii, ac quamplurimi etiam, qui diverſa ſentiebant, mitius de Hugonotis ſentire. Secutum ergo ſtatim fuit bellum A. 1562. inter *Franciſcum* Guiſiæ Ducem, & *Ludovicum* Bourbonium Principem Condeum: cæſa in prælio ad Druidum urbem in Normannia utriuſque partis millia novem. Ipſe Condeus equo collapſo in Guiſianorum poteſtatem venit. Poſt brevem pacem iterum arma commota, ac *Lud.* Condeus eo potentiæ partes Hugonotarum deduxit, ut ipſam Lutetiam Pariſiorum obſideret, ac *Annam* Momorancium Galliæ Conneſtablium ex urbe erumpentem cruento prælio ad S. *Dionyſium* profligaret A. 1567. Biennio poſt Tertium Bellum ſucceſſit, in quo Princeps Condeus fortiſſimus Heros ad Jarnacum fortiter pugnans in prælio captus, ac contra fidem datam à Monteſquio *Henrici* Andegavenſis Ducis Excubiarum Præfecto ſclopeto trajectus occubuit, eique in imperio Hugonotarum ſuc-

ſucceſſit *Caſpar Colineus Galliæ Admiralius*, ac eo ipſo anno memorabilis illa ad *Mancontarum* pugna commiſſa fuit, jamque ita invaluerant *Euangelicorum* partes, ut bello plerumque ſuperiores eſſent.

3. Igitur depoſita pelle leonina vulpinam adſumpſerunt *Guiſiani*, ac A.C. 1570. facta in perpetuum pace, de nuptiis quoque *Henrici* Regis Navarræ cum *Margaretha Caroli* IX. ſorore actum fuit, & earum prætextu pellecti Lutetiam *Caſpar Colineus*, & plerique alii Reformatæ Religionis Proceres, 24. Auguſti, die *Bartholomæo* ſacra, crudeliſſime trucidantur, ac eo momento horribilis per univerſam Galliam laniena cœpit, auſuſque fuit *Carolus* IX. publice atrociſſimi illius parricidii invidiam in ſe recipere, ac æterna nominis ſui cum infamia profiteri, ſe volente ac jubente tot hominum millia interfecta. De quo quale judicium fuerit aliorum Principum Pontificiorum, inprimis *Maximiliani* II. Imperatoris, apud Thuanum & alios legere eſt.

4. Hæc nefaria proditio ac conſpiratio Hugonotas plane in deſperationem egit, ac illi ab eo tempore ferro & flamma ita devaſtare Galliam, ut plures arcium, templorum, monaſteriorum ruinæ extiterint, quam in laniena Pariſienſi homines interfecti: ac pla-

ne ultio tanto ſcelere digna ſumpta fuit. Ergo omnes iterum furiis conſurrexerunt Hiſpani, Guiſiani, ac icto inter ſe federe novo, quod Liguam ſacram dixerunt, inſtaurare antiqua bella, ac pervicaciſſimis armis exſcindere *Hugonotas*, quorum Dux erat *Henr.* Rex Navarrę. Et cum Valeſia Domus in *Henrico* III. ad ultimam deducta fuiſſet orbitatem, Guiſiani velut ex *Carolingis* oriundi affectare nihil diſſimulato ambitu regnum, ipſo *Henrico*, ſocordia adiiſque vitiis, in tantum delapſo contemptum, ut merum Guiſianorum ludibrium eſſet. Utque explerent animum ſuum *Sardanapali* hujus opprobrio, in omnibus ad Ligerim oppidis ſpargi curarunt, leproſum eſſe *Henricum*, ac ut illa peſte liberaretur, conquiſitis undique formoſis pueris, in eorum ſanguine abluendum, jamque miſſos undique Conquiſitores, qui per univerſum illum tractum pueros raperent. Tum demum velut ex alto ſopore excitatus ſtatuit dignas de ſceleratiſſimis Liguiſtis pœnas ſumere. Convocata Ann. 1588. Bleſis comitia. in quibus, cum *Franciſcus* Guiſius, ipſius frater *Ludovicus* Cardinalis vultu alacri ac ſuperbo comparerent, ingredientem conclave *Franciſcum* *Henricus* à ſatellite ſuo pugionibus confodi, ac altera die poſt *Ludovicum* fratrem ejus

ſtran-

ſtrangulari juſſit. Utriuſque cadaver igne crematum, cinereſque in Ligerim diſperſi ſunt.

5. Hinc detonare Romanus Pontifex, excommunicare Henricum, pleraque omnis Gallia ad Liguiſtas deficere. *Henricus* tum demum deprehendit ſuam totiuſque regni ſalutem in Hugonotarum fide ac virtute ſitam eſſe. Ergo quos hactenus implacabili odio proſecutus fuerat, ad eorum gratiam ſe jam recipere, eorum opem contra rebelles implorare, ac quod petiit, facile impetravit. Cumque *Henricum* Navarrę Regem proximum agnatione, ac indubium ſucceſſorem, ſed à Pontifice excommunicatum heredem declaraſſet, ejus exercitu adjutus Lutetiam Pariſiorum Liguiſtarum metropolim obſidere cœpit. Jamque obſeſſi laborare fame, cum *Iacobus Clemens* Ordinis Prædicatorum Monachus in regis conclave prætextu ſecretarum literarum admiſſus eum primo Auguſti Ann. 1589. anno ætatis 37. regni 15. confodit, illaque die translatum à Valeſiis ad Borbonios regnum fuit.

X.

Borbonii hodieque regnant.

Ab A. 1589. in huncusque diem.

REGNUM HISPANIÆ.

CANON. I.

Fundatum est à West-Gothis.

SUb Honorio Imper. & Regibus Gottorum Athaulpho, Segerico, Wallia, Theuderico. Causa principalis fuit Honorius: impulsiva duplex: Una quidem ut barbaros, Gothos, Francos, Alanos, Suevos, Vandalos extra Italiam inter se committeret, adeoque mutuis bellis & dissidiis attereret. Altera, ut urbem Romam atque Italiam à *West-Gothis* sub *Alarico*, & Athaulpho, seu *Adolfo*, occupatam liberaret. Constituerat enim Athaulfus urbem Romam delere ac novam de suo nomine Gothiam appellare, ibique sedem regni sui ponere. Ita enim statuebant Imp. Rom. deleri non posse nisi excisa urbe Roma: quemadmodum olim eadem Mithridatis sententia fuit.

II.

Hi primũ ex Italia migrarunt in Galliam Narbonensem sive Provinciam.

A. C. 411. Rege Gothorum Athaulpho.

Sedes

edes regni Narbona. Totus ille tractus appellatus Land-Gothia id est regis Gothor. vel Goth-Landia, quæ vocabula progressu temporis corrupta fuerunt in Languedociam & Cataloniam.

III.

Ex Narbonensi Gallia migrarunt in Aquitaniam seu Vasconiam.

A. C. 417. Rege Gothorum Wallia. Sedes regni *Tholosa.*

IV.

Ex Aquitania migrarunt in Hispaniam.

A. C. 429. Rege Gothorum *Theuderico.* Regia sedes Toletum. Ab eo tempore reges West-Gothorum perpetuo assumpserunt cognomen *Flavii.* Vera hujus rei ratio hæc est, quia nomen *Flavius* fuit perpetuum cognomen omnium fere Imperator. Romanorum posteriorum, in Occidente quidem usque ad Augustulum, & in Oriente ab Imper. Martiano per aliquot secula. Ergo horum Imperator. exempla imitati in Italia Ost-Gothi & Longobardi, in Hispania West-Gothi, ut significarent se esse pares Imperatoribus Romanis, se quoque Flavios appellarunt.

V.

V.

Tandem tota Hispania potiti sunt.

A. C. 585. Rege Gothor. Fl. Recaredo, seu Richardo. Nam antehac majorem tantum partem Hispaniæ possederant, Galletiam adhuc tenentibus Suevis. Hic Recaredus primus Regum Hispaniæ cognomen habuit Catholicus, quod primus Regum Gothorum Orthodoxus fuisset, Priores enim omnes Arriani.

VI.

Complectebatur regnum Gothorum Aquitaniam & Galliam Narbonensem, totam insuper Hispaniam & magnam Africæ Tingitanæ seu Mauritaniæ partem.

Hoc regnum uno nomine vocabatur *Gottia* seu *West Gottia*: ejusque partes fuerunt *Gottia Gallica*, i.e. Aquitania & Narbonensis Gallia: *Gottia* Hispanica, quæ universam Hispaniam, & *Gottia* transmarina, quę Mauritaniæ Tingitanæ partem complectebatur.

VII. De-

VII.

Destructum fuit à Mauris.

A. C. 713. sub ultimo rege Gothorum *Roderico.* Causa principalis fuit Vitiza penultimus Rex, qui cum liberum hactenus regnum mutasset in tyrannidem, omnes urbes ac castella mœnibus nudavit, antiquam Gothor. militiam destruxit, ac subditos suos exarmavit, unde effœminati ac voluptatibus mutuisque dissidiis corrupti facilem de Hispania victoriam Mauris concessere. Impulsiva, Comes *Iulianus* præfectus Septæ in Africa, cujus filiam *Cabam Rodericus* stupraverat. Instrumentales fuerunt *Muza* & *Tharif.* missi ab *Walid Calipha Saracenorum* cum exercitu ex Africa in Hispaniam.

VIII.

Ab his Gothis universa Nobilitas Hispanica originem suam ducit.

Id quod sibi suisque Hispanis honori duxit *Carolus* V. Imperator: & ignominiosum in Hispania aliunde quam à *Gottis* genus suum derivare.

PERIODUS I.

CANON I.

Mauri potiti universa Hispania.

Anno 713. Mauri appellantur omnes Saraceni Africani à Mauritania, unde primo in Hispaniam profecti fuere, atque hinc fluxit vocabulum *Mohr*, quo Europæ Germanicæ nationis Æthiopem designant, quia sedes Æthiopum in Africa,& Africani Europęis primum per hanc Mauror.irruptionem in Hispaniam innotuerunt. Hi Mauri Hispaniam appellarunt *Andalusiam*, quæ *Andalusia* ita appellata à Vandalis fuit. Ita Arabes & Turcæ hodieque regem Hispaniæ appellant regem Andalusiæ. Ab hoc tempore lingua Hispanica Vetus & Arabica ita cònfusæ fuere,ut hodie tertia fere pars linguæ Hispanicæ sit Arabica, ac pleraque flumina & oppida nominibus Arabicis appellentur.

II.

Gothi mox iterum regnare cœperunt.

Causa principalis impulsiva fuere montes *Asturiæ, Cantabriæ* & *Pyrenæi*. Hinc fiducia Gothis, cum sese inexpugnabiles scirent, ac paulatim ex antris & speluncis suis progressi, *Mauros* parvis præliis lacessere, victo-

es longius progredi, denique præda atque pibus aucti jam infracta Maurorum virtute, nova regna, velut ex ruderibus erigere cœperunt. Nomen autem Gothorum plane um temporis extinctum fuit atque in usum revocatum nomen Hispanorum, quod in hodiernum diem durat.

III.

Primum Regnum Hispaniæ fuit erectum in montibus Asturiæ, Galliciæ & Cantabriæ.

A. C. 716. Primus Rex fuit Pelagius ex veteri regum Gothorum sanguine, ac Roderici ut volunt cognatus. Nomen regni certum non extat, nisi quod in montibus Asturiæ situm fuit. Sedes quoque regia certa nulla, sed in speluncis ac antris primam majestatem Pelagius exercuit. Sub *Alphonso* I. seu Casto, regia in urbem *Ovetum* translata, unde dicti reges Oveti. Sub Ordonio sedes Oveto translata in urbem Legionem, unde dicti reges Legionis. Insignia fuit *Leo aureus* in campo rubeo. Est autem antiqua hæc regum Hispanorum historia admodum obscura, incerta, dubia ac confusa, & ipsa regna admodum exilia fuerunt, donec progressu temporis magnam iterum Hispaniæ partem Mauris eripuerunt.

IV. *Secun-*

IV.

Secundum regnum conditum fuit in montibus Pyrenæis.

Circa A. 724. Primus Rex fuit *Garſias Ximenius* ſeu *Innicus*. Occaſio pręclara ejus victoria, quam de Mauris reportarat. Sedes oppidum Inſa: Inſignia rubra parma nulla pictura diſtincta: Titulus regni *Suprarbia* & *Ripagorza* Deinde ſub *Garſia Innico* ſecundo capta fuit *Pompejopolis* ſeu *Pampelona* & in eam ſedes regni tranſlata, unde dictum regnum *Pampelonæ*, & peculiari nomine regnum *Navarræ*, vel ab urbe Navaret, quę ſita eſt cis Pyrenęos in Bearnia vel à *Navis*, qua voce lingua Vaſconum denotantur loca plana & campeſtria, quoniam regnum Navarræ complectitur planiciem à montibus *Pyrenæis* protenſam. Hujus regni & initia & antiquitates admodum ſunt obſcurę & incertæ. Qui tamen certiſſima de illis tradit eſt *Hieronymus Blanca* in hiſtoria Regum Aragoniæ.

V.

Tertium regnum excitatum fuit in Jaccætanis *montibus*.

Titulus fuit *Arogonia*, quæ ita dicta vel à fluvio Aragone eam mediam ſecante

vel

el ab Hiſpania Tarraconenſi Ita enim emporibus Romanorum tractus ille appellatus fuit. Primo comitatus fuit: primuſque Comitum *Aragoniæ* Aznar *Galindus:* inde *Garzias Innicus* Rex *Suprarbiæ* & *Ripagorzæ* ducta Urraca Fortunii Ximenii Comitis Aragoniæ ſexti & ultimi filia, Aragoniam cum Suprarbiæ regno conjunxit, ejuſque ſucceſſor Sanctius *Kæſa Albarca* primus ſe regem Aragoniæ appellavit A. C. 395. à quo tempore nomen regni Suprarbiæ & Ripagorzæ abolitum, ejuſque loco regnum Aragoniæ & *Navarræ* introductum fuit, quæ hodieque durant.

VI.

Quartum regnum excitatum fuit in Celtiberia.

Titulus fuit Caſtella ſeu Caſtilia: primo fuit comitatus: ejuſque comites Judices appellati, qui propter Ordonii, Secundi Regis Legionis, quatuor Caſtellæ comites fraude circumventos in carcere necantis crudelitatem defecerunt: cumque poſtea iterum redacti fuiſſent in poteſtatem regum Legionis, *Ferd: Gondi-Salvus* fortiſſimus vir A. C. 930. comitatum Caſtellæ in libertatem reſtituit. Tandem per conjugium *Sanctii Majoris* Regis Navarræ cum *Sanctii Ferdinandi*

nandi Comitis Castellæ filia ad regnum Navarræ & Arragoniæ pervenit, ejusque filius *Ferdinandus Magnus* primus se vocavit regem *Castellæ*.

VII.

Quintum regnum excitatum fuit in Lusitania.

A. 1139. Primo fuit comitatus, quem Henrico comiti Limburgensi Rex Legionis & *Castiliæ Alphonsus* VII. in feudum dedit. Titulus *Portugallia* deductus ab oppido maritimo *Portugale*. Hujus *Henrici* filius Alphonsus victis uno prælio 5. Maurorum regibus appellatus fuit Rex Portugalliæ. Sedes *Olisipo* sive Lisboa. Regnum illud primo fuit feudale regibus Legionis & Castiliæ.

VIII.

Mauri regnarunt in Andalusia.

Regnum eorum cœpit A. 724. Sedes regia fuit *Corduba*. Titulus Regni *Calipha*. Primus Maurorum in Hispania *Calipha* fuit *Muhavia*, qui Hispaniam liberavit à subjectione *Calipharum* Syriæ.

IX.

IX.

Ex his majoribus Hiſpaniæ regnis quamplurima Minora exorta ſunt.

Id quod inprimis factum collapſo regno *orduba*. Tum enim Mauri inteſtinis diſſiiis diſtracti tot fere regna excitarunt, quot ı ipſorum imperio magnæ urbes. Eo ergo empore quælibet fere urbs proprium regem ıabuit; ex quibus potiora regna fuerunt Cordubæ, Seviliæ, Murciæ, Valentiæ, Saragoſſæ, Deniæ, Algezyræ, Jaënis, Algarviæ x alia minora quamplurima. Ad regna Chriſtianorum acceſſit unicum tantum, nimirum Galliciæ. Atque hinc factum, quod eges Hiſpaniæ tot in ſuo titulo regnis ſuperbiunt. Nam in ſola Hiſpania regna numerant 12. vel etiam 14. quorum tamen nterdum tam exigua potentia eſt, ut vix nagnitudine ſua adæquent Velaviam.

X.

Hæc regna inter ſe & contra exteros perpetuo pugnarunt.

Inter ſe: vel Chriſtiani cum Chriſtianis, vel Mauri cum Mauris, vel cum Chriſtianis Mauri: Cum exteris: tum contra *Carolum Ma-*

Magnum, tum ac inprimis contra Reges Africanos. Atque hinc factum, quod cum nulla ab armis cessatio unquam daretur, Hispani omnium fere gentium pugnacissimi evaserint. Nunquam enim aratrum nisi armati duxerunt, & crebro ab obere rustico ad aciem ac in prælium ipsis prosiliendum fuit, quemadmodum hodieque in Hungaria propter continuas Turcarum incursiones fieri solet.

XI.

Gubernatio fuit Monarchica.

Titulus apud Mauros Calipha & Emirelmumenina, i.e. Princeps credentium, deinde Melic, i. e. Rex: apud Christianos Rex & interdum Imperator, quo titulo Imperatoris Hispaniæ, usus fuit Sanctius *Major*, deinde *Alphonsus* VI. tum *Alphonsus* VII. qui se etiam Augustum appellavit, ac contendit Imperium Romanum translatum fuisse non ad Germanos, sed ad Hispanos. Ex Regibus Aragoniæ titulo Imperatoris usus fuit Alphonsus cognomine Bellator. Reginæ & regia soboles peculiari nomine dictæ fuerunt *Infantes*, non à voce Latina Infans, qua puerum & minorennem denotamus. Nam *Infantes* in Hispania dicuntur etiam provectæ ætatis Viri, fœminæque, sed à voce Cantabrica

ica quæ significat proximum successo-
m regni, & ita hodieque primogeniti filii
l filiæ regum Hispaniæ vocantur *Infan-*
s.

XII.

Apud Mauros Monarchia fuit simplex ac absoluta, apud Christianos mixta & limitata

Mauri enim assueti in Africa absoluto do-
ninio illum morem quoque in Hispania
ervarunt. At vero Hispani originem tra-
entes à Gothis liberrima gente, ac præter-
a sua sponte sibi eligentes reges, perpetuis
nsuper bellis exerciti non tulerunt ab initio
Monarchiam absolutam & illimitatam, sed
am certis legibus ac conditionibus astrin-
erunt, quas, nisi excidere regno vellet, in-
ringere non poterat. Et quanquam successu
emporis crescente indies regum potẽria de-
resceret Hispanorum libertas, nihilominus
odieque Hispani privilegiorum suorum te-
acissimi sunt, neque majora sibi imperari
atiuntur tributa, quam cum legibus eorum
onvenit. Si quid amplius petit Rex, id illi
on tanquam debitum, sed tanquam gratui-
a donatione indulgetur: idque prout visum
uerit Ordinibus.

XIII.

XIII.

Omnium liberrimi fuerunt Aragonii, & hodieque ſunt Cantabri, Biſcaini ſeu Vaſcones & Catalonii.

Admiranda plane ſunt quæ de ſumma regni Aragoniæ libertate traduntur. Primo enim ipſorum regnum fuit Electivum, idque duravit uſque ad *Petrum* cognomento ab Acinace, qui ab Ordinibus imperavit, ut regnum ex electivo fieret ſucceſſivum & hæreditarium. Et quia caput, quod inter leges Aragonum agebat de electione regis, ſtricto acinace diſcidit, dictus fuit *Petrus* ab acinace. Nihilominus cautum fuit libertati etiam introducta ſucceſſione hæreditaria Quippe condita fuit lex titulo Unionis in hæc verba: Si Rex patrias leges violet, Aragonis liberum eſto citra crimen læſæ majeſtatis fœdera inter ſe & cum vicinis pro conſervanda libertate inire, aliumque regem eligere. Secundo quia habuerunt magiſtratum ſupra ipſum Regem, & qui ipſe Rex ſubjectus erat. Hic magiſtratus vocabatur Juſtitia Aragonum, coram quo reges in genua procumbebant, & capite aperto jurabant ſe omnia privilegia & leges Aragonum ſancte obſervaturos: & tum hæc formula pronun-

cia-

iabatur à Prætore nomine Populi : Nos qui
anti ſumus quanti vos,& plus quam vos poſ-
ſumus,regem vos eligimus his atque his con-
ditionibus. Inter vos & nos unus majore eſt
imperio quam vos. Igitur rex Aragoniæ à
quolibet ſubditorum ſuorum poterat accu-
ſari apud Juſtitiam penes quam ſolum ab-
ſoluta erat poteſtas explicandi leges, ejuſque
explicationi,ſine ulteriore provocatione ſtan-
dum erat. Idem ſolus judicabat an parendum
eſſet regiis mandatis nec ne, & ipſe Rex,
quotieſcunque dubitabat,juſtumne eſſet ali-
quid & legitimum an ſecus, cogebatur ſen-
tentiam juſtitiæ exquirere. Tertio quia co-
mitiorum in Aragonia tanta erat poteſtas, ut
vel unius diſſenſus omnia potuerit impedire,
adeoque niſi ad unum omnes conſentirent,
omnes videbantur diſſentire, quod hodie
nullibi quam in Polonia adhuc obtinet. Pri-
vilegia Aragonum in quæ Rex jurare coge-
batur, præcipua hæc fuerunt. 1. Ne nova
vectigalia niſi de conſenſu populi impone-
ret. 2. Ne arces ac regni caſtella exteris
committeret. 3. Ne quis ſubditorum tor-
queri poſſet niſi in caſu adulteratæ mone-
tæ 4. Ne impediret partem juſtitiæ Arago-
num. 5. Ne diceret jus niſi adhibito ſubdi-
torum conſilio. 6. Ne bellum, pacem, in-
ducias, reſve alias majoris momenti abſ-

que consensu publico faceret, ita ut in toto orbe nullum regnum quoad libertatem comparari potuerit cum Aragonio, neque ullius magistratus tanta fuerit potestas, quantam Justitia Aragonum habuit, qui etiam bona cum venia Grammaticorum non hæc sed hic Justitia appellandus est, quemadmodum Hungari olim Reginam suam *Mariam* noluerunt appellari Reginam sed Regem, quæ etiam in publicis edictis appellata fuit *Rex Maria*. Quod Cantabros spectat, illi hodieque liberrimi vivunt, neque ullum Regem sed Dominum tantum agnoscunt, neque licet regi Hispaniæ absque bona ipsorum venia vel magno cum exercitu fines Biscajæ ingredi. Catalonii quoque, quantam curam libertatis suæ gerant ante octo annos satis ostenderunt: quippe qui propter minimas injurias à militibus Hispanis acceptas ad Gallos defecerunt, conquesti infracta privilegia sua & libertatem.

XIV.

Hæc regna admodum lente incrementa ceperunt.

Omnium maxime regnum Legionis extensum fuit, cui diversis temporibus utraque Castilia Vetus ac Nova accessit. Sub *Ferd.* III. regna Cordubæ & Seviliæ, sub *Alphonso* IX. quid-

quidquid erat Maurorum in Bæticæ Angulum ſeu regnum Granatæ compulſum fuit. Sub *Henrico* III. A. C. 1390. acceſſere Inſulæ Fortunatæ ſeu Canariæ, per quas via in Novum Orbem ſive Americam aperta. Regno Aragoniæ acceſſit ſub *Alphonſo* I. regnum Cæſar-Auguſtæ ſeu *Sarogoſſæ*. Sub *Iacobo* I. expugnatore adjunctæ fuerunt Inſulæ Baleares Majorica & Minorica, quorum regem nomine Retabohig *Iacobus* arreptum barba ex latibulo, quemadmodum ſe facturum juraverat, protraxit: Murciæ inſuper ac Valentiæ regna ſub *Petro* III. Per veſperas Siculas A. 1282. Sicilia. Sub *Iacobo* ſecundo A. 1324. Sardinia Sub *Alphonſo* Sapiente anno 1442. regnum Neapolitanum ad Aragonios pervenere. Portugallia ſub *Alphonſo* III. anno 1270. aucta fuit Algarbia, comitatus titulo. Primus autem *Dionyſius* ſe ſcripſit regem Algarbiæ, & pro ejus ſymbolo additus inſignibus Portugalliæ clypeus purpureus aureis caſtellis reſperſus: Sub *Ioh.* I. acceſſit anno 1415, Septa Africæ urbs. anno 1425. Inſulæ Madera & Porto Sancto, præterea tres Canariæ, Tenerifa, Palma, & Magna Canaria: ſed eas Papa *Eugenius* IV. anno 1431. regi Caſtiliæ adjudicavit: ſub *Alphonſo* V. in Africa Alcazar, Arcilla, Tingis ſeu Tanger & alia, unde Afri-

canus cognominatus fuit. Sub *Ioh.* II. regnum Guineæ.

XV.

Hæc regna varie conjuncta atque divisa fuerunt.

Prima magna conjunctio contigit A. C. 1000. in qua Sanctius Major R. Navarræ omnia regna Hispanica, quæ in potestate Christianorum erant, conjunxit & 34. annis retinuit. Cumque 4. reliquisset filios, 4. quoque regna inde emerserunt. Regnum Aragoniæ, Navarræ, Castiliæ, Suprarbiæ & Ripagorzæ, quod ultimum regnum mox pervenit ad Castiliam, neque ab eo tempore ejus nomen auditum fuit: sed omnis Hispania quatenus erat in potestate Christianorum divisa fuit in quatuor regna, Castiliam, Navarram, Aragoniam & Portugalliam, inter quæ regna nunquam stabilis potuit iniri concordia, quamquam subinde vel armis, vel matrimonio conjungerentur, donec tandem advenit fatalis periodus intra A.C.1480. inclusive usque ad Annum 1500.

TERTIA PERIODUS.

I. *Domitis Mauris Hispani per universum orbem arma & dominationem circumtulerunt.*

CAusa remota fuit matrimonium inter *Ferdinandum* Regem Aragoniæ & *Elisabetham* seu Isabellam Reginam Castiliæ, ex quo matrimonio quatuor consecuta fuerunt. Primo perpetua unio inter regna Castiliæ & Aragoniæ. 2. Excidium omnium Saracenornm in Hispania, & 3 detectio Novis orbis sive Americæ, & 4. ipsa Monarchia Hispanica, i. e. potentissimum Hispanorum per universum orbem imperium Prima conjunctio facta fuit A. 1479. quo anno Aragonia sese submisit regno Castellæ & ab eo tempore paulatim omnia privilegia sua ipsamque tandem justitiam amisit, documento mortalibus quo plura patrio conjungantur dominio regna, eo magis diminui ipsius authoritatem, quemadmodum preciosum aliquod unguentum multo aceto affuso corrumpitur : ita cum regnum Aragoniæ, quamdiu fuit salitarium, gemina quædam fuerit, conjunctum cum Castilia omnem splendorem amisit, ut hodie nonnisi nomen ejus in titulo regum Hispaniæ supersit : reli-

qua unico hoc matrimonio inter Ferdinandum & Isabellam amissa sint.

II.

Reges Hispaniæ prætendunt jus in novum orbem.

Hoc jus nititur primo prærogativa detectionis. Primi enim Hispani versus Occidentem & Orientem detexerunt uovum Orbem 2. donatione *Alexandri* VI. Papæ R. qui universum novum mundum donavit (quod facile ipsi erat de alieno) regibus Hispaniæ. Et ne oriretur dissensio inter reges Portugalliæ & Castiliæ Papa R. accepto globo & primo Meridiano constituto secundum Ptolemæum in Insulis Fortunatis seu Canariæ, 180 gradus Geographicos versus Orientem adscripsit regibus Portugalliæ, & 180. gradus versus Occidentem attribuit regibus Castiliæ, hoc titulo ut converterent barbaros ad fidem Christianam. Sed cum Portugalli per summam ignorantiam & imprudentiam existimarent sibi factam esse injuriam, scilicet adhuc ignari orbem esse rotundum, magna importunitate extorserunt, ut primus Meridianus ab Iusulis Canariis removeretur per 300- circiter miliaria versus Occidentem. Atque hinc factum quod *Meridianus* I. hodie apud omnes

omnes Geographos non in Insulis Canariis, sed in Asoribus locum habet. Causa hujus mutationis non est declinatio acus nauticæ, Sed illa ipsa divisio inter Lusitanos ac Castilianos, cujus terminus omnino constitui debet primus Meridianus. Ex hac mutatione Lusitani obtinuerunt Brasiliam, quia nim. tota Brasilia incidit in Meridianum Insularum Asorum. Sed Castiliani longe majus commodum retulerunt. Quippe illi ab eo tempore vindicarunt sibi jus in magnam partem Indiæ Orientalis, nimirum Insulas Philippinas, quas hodieque retinent, & Moluccas, aliasque.

III.

Reges Castiliæ & Aragoniæ Monarchiam totius Hispaniæ adfectarunt.

I. TITULO.

1. Hispaniæ. Nam capta Granata Ferdinandus & Isabella vocarunt se reges Hispaniæ, magno cum damno & præjudicio regum Navarræ & Lusitaniæ, in quos ipsi hoc titulo jus aliquod & prærogativam sibi vendicabant.

2. Regum Catholicorum. Nam *Alex.* VI. Ferdinando & Isabellæ tribuit titulum regum Catholicorum. Ille autem titulus omnium amplissimus est. Nam quod Papa

in ecclesiasticis, idem Rex Catholicus in temporalibus est. Papa in fidem, hic in omnia regna dominatur. Et hujus tituli prætextu Rex Castiliæ hactenus pro maximo totius orbis Monarcha se gessit.

II. Armis. Restabant duo in Hispania regna Portugallia & Navarra. *Ferd.* I. Navarram tanquam infirmiorem aggressus fuit. Regnabat ibi *Ioh. Albretanus* studiosus partium *Ludovici* XII. Regis Galliarum: Cumque Ludovicus XII. bellum gereret contra *Iulium* II. Papam R. atque etiam publicis nummis excusis profiteretur se deleturum nomen Babylonis, *Ferdinandus* prætextu federis professus fuit se non posse alias sequi partes nisi ecclesiæ. Ergo *Iulius* XI. excommunicavit *Ioh.* Albretanum & ejus regnum prædæ exposuit occupanti. Occupavit autem illud *Ferd.* & hodieque tenent ejus posteri. Quanquam autem non sit magni momenti regnum, quippe in quo vix 20000 focorum extant, & quod vix 100000 hominum continet, tamen reges Galliæ hodieque utuntur titulo regum Navarræ, illudque regnum perpetuis bellis ab Hispano reposcunt.

IV.

Arrogarunt ſibi quoque prærogativam inter omnes reges Chriſtiani orbis.

Primo enim Ferdinandus præcedentiam diſputavit *Henrico* V. Regi Angliæ, ſed eo tempore nihil obtinuit, deinde controverſia illa deciſa fuit ſub *Carolo* V qui cum ſimul eſſet imperator & Rex Hiſpaniæ haud dubie habuit præcedentiam inter omnes reges Chriſtiani orbis. Itaque illo vivo nulla mota fuit controverſia. Sed cum ipſi *Philippus* II. ſucceſſiſſet titulo regis Hiſpaniæ, neque minoris eſſe vellet authoritatis quam Pater ſuus *Carolus*, prærogativam regis Galliæ à multis retro ſeculis indubitatam cœpit in dubium vocare, non alio argumento, niſi quod ſe longe potentiorem eſſe prædicaret. Ei hæc controverſia in hunc uſque diem perdurat. Papa R. non audet pronunciare inter litigantes tam petentes, & neutra pars alteri quidquam concedit. Plerique tamen omnes reges & Principes, exceptis, qui à domo Auſtriaca dependent, dant præcedentiam Regi Galliæ.

V.

Maxime crevit eorum potentia matrimoniis.

Hoc ſingulare in Hiſpanis, quia ipſorum Monarchia non tam armis quam conjugiis aucta fuit, qui eſt modus acquirendi maxime naturalis atque innocens. Tria inprimis conjugia eam auxerunt. 1. *Maximiliani Cæſaris* cum Maria *Caroli* Burgundiæ Ducis unica filia, quæ totum Belgium traduxit ad domum Auſtriacam. 2. *Philippi* I. cum *Iohanna* filia *Ferd.* & *Iſabellæ* Regum Caſtiliæ & Aragoniæ, quo conjugio Hiſpania, Belgium, & Auſtriacæ provinciæ conjunctæ fuerunt. Ex quo conjugio nati ſunt *Carolus* & *Ferdinandus*: quorum *Carolus*, mortuo Patre *Philippo*, Rex Caſtiliæ & Princeps Belgii factus, *Ferdinando* Catholico A. 1516. in regno Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis & Sardiniæ: *Maximiliano* avo anno 1519. in Imperio Germanico ſucceſſit. Tertium *Caroli* V. cum Iſabella filia Emanuelis Regis Portugalliæ, cujus filius fuit *Philippus* II. qui inde jus ſuum derivavit in Regnum Galliæ. *Ducatus Mediolanenſis* poſt mortem *Franciſci Sforziæ* ultimi Ducis A. 1536 tanquam feudum Imperii devolutus fuit ad *Carolum* V. Imperatorem & ab eo nequicquam

quam repugnante Gallo, collatus in *Philippum* filium. In Africa Regnum Tunetanum factum fuit tributarium, cum *Carolus* V. anno 1535. suis armis restituisset Muleiassem regem Tunisii. In America cum plurimis aliis provinciis expugnarunt anno 1521. regnum Mexico, A. 1533. regnum Peruviæ.

VI.

Maximum incrementum accessit per Portugalliam.

Quod unum in Hispania restabat regnum & per cujus conjunctionem cum Castilia Monarchia Hispanica ad summum fastigium ascendit. Cujus conjunctionis occasio fuit mors *Sebastiani* Regis Portugalliæ, qui in expeditione Africana anno 1578. cum toto exercitu occubuit. Cumque nullam reliquisset prolem, regnum Portugalliæ pervenit ad patruum ipsius *Henricum*, quo intra annum defuncto Portugallia exposita fuit quam plurimis competitoribus qui in eam jus sibi esse asserebant. Sex autem præcipui fuerunt. *Philippus* II. Rex Hispaniæ, *Iohannes* Dux Braganzæ, *Anthonius* Prior Gradensis, *Alexander Farnesius* Dux Parmæ, *Emanuel Philibertus* Dux Sabaudiæ, & *Catharina* Medicea Regi-

na Galliæ. Sed hæc nonnisi ludibrii causa actionem suam instituit. Repetebant enim jus suum ab Alph. I. Rege Portugalliæ, qui cum uxori suæ Comiti Bononiensi superinduxisset aliam factum inde dicebat Catharina, ut omnes qui post *Alphonsum* I. regnaverunt, spurii fuerint. Adeoque ad se devolutum regnum per Comitem Bononiensem. Nullus potiori jure nitebatur, quam *Ioh.* Dux Braganzæ. Sed potentia *Philippi* omne jus subvertit, qui instructo exercitu ingressus Portugalliam, universum regnum brevi tempore subegit. Et quanquam Lusitani contra eum elegissent *Antonium*, atque evocatis in auxilium Anglis Gallisque strenue aliquandiu partes ejus defenderent, nihil tamen ad summam rei effecerunt: sed Portugallia penes Castilianos mansit. Ex tot ergo tantisque provinciis componitur superbus ille titulus quo reges Hispaniæ utuntur, nim. D.G. Rex Hispaniæ, Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, Hierusalem, Neapolis, Siciliæ, Majoricæ, Minoricæ, Sardiniæ & Insularum & Continentis Indiæ, & Oceani maris Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Lucemburgi, Geldriæ, Mediolani, Comes Hapsburgi, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Namurci, Zutphaniæ,

niæ, *Marchio* S. I. Dominus Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Ultrajecti, Trans-Isalaniæ & Groningæ: Magnus Dominus Asiæ atque Africæ.

VII.

Mox tamen mole sua nimia laborare & magnis damnis affici cœpit.

Vastissimum enim illud imperii corpus cum membra ejus late dispersa essent neque ulla inter se proportione coagmentata, paulatim contabescere & velut emori cœpit. Nam Hispania velut caput exhausta fuit. Primo Incolis. Quæ enim ante sesquiseculum frequentissime habitabatur, ac ingenti hominum multitudine abundabat, adeo nunc exhausta est, ut fere in solitudinem redacta videatur. Nam qui rationem multitudinis iniverunt; in tota Hispania non plures esse inferunt incolas, quam in Italia, i. e. circiter 8. vel 9. milliones, & sub *Philippo* II. in Hispania censu habito præter Regem, Duces, Marchiones, eorumque asseclas non nisi 1125390. undecies centena & vigingi quinqne millia .recenti nonaginta omnis generis viri ab A. ætatis 18. ad 50 reperti fuerunt, qui sane numerus pro magnitudine regionis admodum exiguus est. Et tempore Sebastiani in illa Portugalliæ parte

quæ

quæ omnium frequentiſſime habitatur non niſi 18000. reperta illorum qui arma ferre poſſent. Cauſæ autem hujus infrequentiæ præcipue ſex ſunt. 1. Judæorum expulſio, quorum A. 1492. 800000. ſive ſexcentum & ſeptuaginta mille familiæ ejectæ fuerunt. 2. Expeditiones in N. O. Orientalem per Luſitanos, Occidentalem per Caſtilianos. 3. Bella Italica, Gallica, Belgica, & quod Rex Hiſpaniæ exteras Provincias nonniſi Hiſpano milite defendere ſolet. 4. Moriſcorum i. e. Novorum Chriſtianorum ex Mauris ejectio, quos *Phil.* III. A. 1601. unico edicto tota Hiſpania pepulit. Et tum temporis 900000. hominum exceſſerunt. 5. Inquiſitio Hiſpanica, cujus metu quamplurimi homines ſeſe ex Hiſpania ſubducunt. 6. tributorum multitudo, unde populus maxime Agricolæ deſertis agris vel in bellum ſeſe conferunt, vel habitatum alio migrant. Et huic infrequentiæ ut obviam iretur *Phil.* III. A, 1623. maxima privilegia indulſit illis qui in Hiſpaniam habitatum venirent, inprimis vero illis, qui ante annum ætatis 18. nuptias contraherent, & multos liberos procrearent.

Secundo Opibus. Nam Hiſpania univerſum orbem ſuis opibus divitem reddit, ipſa autem ſola paupertate laborat. Omnes enim

enim thesauri Indici quamprimum recta in Italiam vel Belgium destinantur, ibique perdurant. Et confessus fuit *Phil*. II. paulo ante obitum se intra annos non adeo multos miliones 5594. inutiliter prodegisse & nullum ex inde operæprecium tulisse, nisi regnum Portugalliæ, quod tam facile iterum amitti possit, quam occupatum sit.

Tertio Regnis atque Provinciis.

VIII.

Mauri ab Hispanis defecerunt.

ANno 1570. Mauri Granadenses spe auxiliorum Turcicorum & Africanorum incitati, defecerunt à *Philippo* II. ac proprium sibi Regem crearunt; sed paulo post à *Ludovico* Requesenio fraudibus circumventi & devicti fuerunt.

IX.

Inprimis debilitata fuit defectione provinciarum Belgicarum.

In quibus recuperandis per 80. amplius annos totius Imperii sui vires frustra occupavit. De causis hujus defectionis videantur scriptores rerum Belgicarum.

X.

Portugalli quoque & Catalonii defecerunt.

A. 1640. Portugalli crearunt sibi Regem *Ioh*. Braganzæ Ducem asserentes eum solum, verum ac legitimum regni hęredem esse: *Philippum* vero injustum usurpatorem & Tyrannum. Ita Imperium Hispanicum dimidia sui parte imminutum fuit. Catalonii se in clientelam regum Galliæ tradiderunt.

XI.

Aragonia privilegiis suis spoliata.

Occasionem præbuit *Antonius* Perez, intimus secretarius *Philippi* II. quem cum suspectum haberet *Philippus*, ipsique vim intentaret, profugit in Aragoniam patriam suam, ibique à *Philippo* pervocavit ad Justitiam Aragonum. Causa antecedens remota fuit constitutio Inquisitionis, quod erat collegium 17. virorum, cui Justitia Aragonum quotannis tenebatur rationem factorum reddere. Nam antiqui Aragoniæ Reges cum sibi velut frenum quoddam impositum viderent per Justitiam, variis artibus paulatim eandem enervare, ac tandem evertere conati sunt. Igitur A. 1469. specioso liber-

libertatis titulo impetrarunt, ut quotannis constituerentur Censores, qui examinarent Justitiam. Facile enim futurum prævidebant, ut inter multos Censores aliquos sibi conciliarent, eorumque auxilio formidabilem Justitiæ potentiam infringerent. Constitutum ergo fuit collegium 17. Virorum, titulo Inquisitionis, ad quod *Philippus* in casu *Antonii Perez* ab ipso Justitia tanquam suspecto provocavit. Nihilominus Aragonii summa pertinacia se *Philippo* opposuerunt, qui perinde comparato exercitu eos rebelles declaravit, *Saragossam* expugnavit, ac antiqua Aragonum privilegia subvertit. *Ioh.* Nuca ultimus Justitia securi percussus, reliqui in servitutem redacti.

XII.

Hispani potentia Gallo inferiores: successu & prudentia superiores.

Potentia consistit in pecunia & milite. Utroque superat Rex Galliæ. Propterea quia cum regnum ipsius undique conjunctum sit, neque per sparsas provincias distrahatur, validam ab omni parte in Hispanum impressionem facere potest. Hispanus undique expositus invasioni nullibi totis viribus pugnare potest. Nihilominus Hispani successu & toto bello superiores plerumque

sunt,

ſunt, non ob aliam rationem, quam quia ipſi natura patientes, Galli impatientes: illi lenti, hi præcipites, illi conſilio, hi impetu, illi cunctando, hi pugnando valent. Cum autem vulgari proverbio tardús aſſequatur celerem, & teſtudo quoque lentiſſimum animal, ſuperarit in fabulis Æſopi aquilam, mirum non eſt illam ipſam Gallorum levitatem, feſtinationem ac furorem retundi ab Hiſpanorum lentitudine. Unde obſervatum Hiſpanos ſemper ſuperiores fuiſſe, quoties de pace agebatur: idque patet ex illis quæ inter *Ferd.* Catholicum & *Ludov.* XII. inter *Carolum* V. & *Franciſcum*, inter *Philippum* II. & *Henricum* II. acta fuere. Nam ſolus *Henricus* II. in pace Veronenſi reſtituit regi Hiſpaniæ 300. oppida nullo accepto redhoſtimento, niſi vanis promiſſis & nuptiarum, in quibus periit, ferali pompa.

Finis Regni Hiſpaniæ.

RE-

REGNUM BRITANNIÆ.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Britannia varie diviſa fuit.

IN Majorem & Minorem. Utraque in diverſas ſubdividitur partes, Major in Septentrionalem & Meridionalem. Septentrionalis habuit duo regna Pictorum & Scotorum: Meridionalis novem. duo Cambrorum, ſeptem Anglo-Saxonum.

II.

Regna Pictorum & Scotorum incertæ originis ſunt.

Quæ enim vulgo traduntur de adventu Pictorum & Scotorum ex Scythia vel Hiſpania, incerta plane ſunt & fabuloſa. Camdenus demonſtravit Pictos eſſe veros ac genuinos Britannos, quia nimir. Brit. lingua Cambrica ſignificat hominem picturatum, quos Romani appellarunt Pictos vel Pictones. Scoti haud dubie originem traxerunt ab Hybernia, quorum mores ac linguam hodieque referunt Sylveſtres ſeu Montani Scoti. Inter Pictos ergo ac Scotos diuturna fuerunt bella, quorum quidem ultimum ex leviſſima cauſa ortum fuit, quod nim. Picti Scotis canem eripuiſſent. Hoc bello Picti à

Scotis

Scotis deleti fuerunt, eorumque & nomen & regnum in Britannia extinctum circa A. C. 839, à quo tempore universa Britannia Septentrionalis appellata fuit Scotia, illique accessit magna Northumbrici regni pars una cum metropoli Edimburgo, prolatis Scotiæ finibus usque ad flumina Tuedam & Solvejam.

III.

Inter Scotos & Gallos antiquissimum ac perpetuum fedus est.

Quod cœpit circa A. C. 500. sub *Carolo* M, Francorum & Achajo Scotorum regibus. Occasio fuere perpetuæ inter Scotos Anglos & Francos inimicitiæ. Et hoc fedus in hunc usque diem continuàtur, neque unquam ruptum fuit, nisi circa A. C. 1570 sub Regina *Maria*, quæ cum esset ex domo Guisia ex tyrannidem in Scotia affectaret, Gallorum auxilia evocavit, quos Angli paulo post iterum ejecerunt.

V.

Extincta priscorum Regum familia magna in Scotia de successione contentiones exortæ sunt.

A.C. 1285. mortuo sine prole *Alexandre*

ro III. Scotorum Rege, duo inprimis præ-
endebant jus *Ioh. Baleolus*, & *Robertus*
Brußius, quorum *Iohannes* Anglorum, *Ro-*
bertus, Scotorum favore nitebatur. Cum-
que *Ioh. Baleolus* clandeſtinis pactis ſe & re-
gnum Scotiæ ſummiſiſſet *Edoardo* I. An-
glorum Regi, qui electus fuerat inter diſſi-
dentes partes arbiter, pronunciavit is pro *Io-*
hanne eumque ad regnum ſuis viribus pro-
movit. Sed cum conditiones quaſdam pro-
miſerat implere nolentibus Scotis neque
poſſet neque vellet, ab Anglis captus atque
abductus fuit & tota Scotia in Anglorum
poteſtatem pervenit; fuitque aliquandiu per
delegatos quoſdam, qui regentes dicti tan-
quam provincia gubernata. Interea *Rober-*
tus in montibus ac ſpeluncis latitabat, ex qui-
bus tandem progreſſus exigua manu & in-
credibili felicitate ac fortitudine Anglos tota
Scotia ejecit, fuitque coronatus Rex Scoto-
rum A. 1305. Ei ſucceſſit filius *David*, qui
totam fere ætatem vel in exilio Gallico, vel
in carcere Anglico tranſegit:

VI.

Tandem regnum pervenit ad fami-liam Stuartorum.

Primus ex illa Rex electus fuit A. 1370.
Robertus Stuart, cujus poſteritas hodieque
ſuper-

ſupereſt. Obſervandum omnes ejus familiæ Reges violenta morte periiſſe, de quo videatur libellus nuper editus *Rampſaligheden van 't huyſs Stuarts.*

VI.

Regnum Scotiæ neque opibus neque potentia cum regno Angliæ comparandum eſt.

Cauſa duplex: 1. ſterilitas. Nam Scotia ſuos incolas omnes non poteſt alere: unde in varias orbis partes emigrare coguntur, præſertim vero in Poloniam, quæ appellatũr mater Scotorum, & in qua 10000. & amplius ejus nationis habitant. 2. Barbaries. Maxima enim Scotiæ pars inculta & barbara eſt maxime verſus Occidentem & Septentrionem: cujus incolæ appellantur homines altæ terræ ſeu Sylveſtres Scoti. Duriſſima gens & pugnaciſſima: ſed ad ſeculi noſtri cultum atque humanitatem multo minus ad opes parandas adduci non poſſunt, contenti cibis quos natura producit, aqua & avena.

VII.

Britannia Meridionalis complectebatur regna Anglo Saxonum & Cambrorum ſeu Wallorum.

Cauſa hujus diviſionis fuit evocatio Saxonum

ım:impulsiva quotidianæ Scotorum & Pi-orum invasiones: adjuvantes, Britannorum tia & Saxonum pugnacitas. Nam eo tem-ɔre, quo barbari Romanum Imperium oc-ıpabant, evocatæ ex Britannia fuerunt le-ones Romanorum, quibus abductis Scoti Picti omnem Britanniam ferro & igne di-ıstare cœperunt: Cumque nihil virium es-t ipsis amplius resistendi, Vortigernus Rex ɔrum missis in Germaniam legatis Saxones, uorum illo ævo summa potentia erat, in ritanniam contra Scotos & Pictos evocavit, ui repulsis hostibus cum cognovissent & in-ılæ fertilitatem & Britannorum vidissent ıfirmitatem consilium ceperunt occupan-æ Britanniæ. Igitur evocatis suorum pluri-us ex amicis hostes facti intra paucos annos niversam Britanniam exceptis tantum lo-is montosis & inaccessis expugnarunt.

VIII.

Anglo-Saxones septem regna constituerunt.

Primum fuit regnum Cantii, fundatum ı. 449. ab Hengisto: secundum Suthsexiæ undatum anno 488. ab Ella. Tertium West-Saxonum fundatum anno 519. à Cerdicio: Quartum East-Saxonum fundatum A. 547. b Ida, quod subdivisum in regnum Deiræ,

& Ber-

& Berviciæ, quorum illud denominatum fuit ab urbe Deira, quam hodie appellant Durham, alterum ab urbe Berwica: ex quo patet vitiose illud regnum à plerisque Historicorum appellari Berniciam, cum omnino dicendum sit Berwicia: quemadmodum perpetuo appellat *Ioh*. Major in historia Scotorum. Quintum Nordanhumbriæ. Sextum fuit regnum East-Anglorum fundatum A. 575. ab Uffa. Septimum regnum Merciorum fundatum A. 656. à Penda.

IX.

In hac Heptarchia semper penes unum aliquem Monarchia fuit.

Nam venerabilis Beda testatur hos 7. Saxonum reges semper aliquem habuisse, cujus majestatem velut supremi Domini cominiter agnoscerent. Fuitque illa Monarchia ambulatoria, & modo penes hanc, modo penes aliam gentem, non successione, sed armis ac potentia quærenda.

X.

Hæc septem regna Saxonum tandem in unum coaluerunt.

A.C. 800. sub Rege West-Saxonum *Egberto*, qui primus factus fuit perpetuus Monar

archia ſeptem regnorum,ac abrogato Saxo-
um nomine univerſam gentem appellari
oluit Anglos & regnum Angliam.

XI.

Gubernatia ſemper fuit per Parlamenta.

Omiſſis illis quę ex *Ioh.Cæſare* adferri poſſunt pro Comitiis, Conciliis ſeu Parlamentis Britannorum certiſſimum eſt Anglo-Saxones Antiquos non imperaſſe niſi cum conſilio & conſenſu populi ſui, quod probatur 1. in genere, quia fuerunt origine Germani, de quorum antiquo & naturali imperio Tacitus præclare in Germania c.11. Verba ſunt: De minoribus rebus Principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes populum arbitrium eſt, apud Principes tractentur. Illud ex libertate vitium, quod non una nec juſſi conveniant, ſed & alter & tertius dies cunctatione coëuntium abſumitur. Ut turbæ placuit, conſidunt armati. Mox Rex vel Princeps prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſin placuit, frameas concutiunt. Licet apud concilium accuſare quoque & diſcrimen ca-

pitis intendere. Hæc tacitus de antiquorum Germanorum regnis: inter cujus ætatem & initia regni Anglo-Saxonum vix 300. anni intercedunt, ac cum Saxones usque ad A. C. 800. obtinuerint illum morem, quem Tacitus suo tempore apud eos fuisse scribit, quis dubitet, quin in Britannia quoque eundem retinuerint? Huc accedit alter locus illustris apud eundem authorem, 13.Annal.54. Verritus & Malorix nationem Frisiorum regebant, in quantum Germani regnantur. A. Frisiis autem originem quoque suam trahere Anglos Ubbo Emmius fuse ostendit.

§2. In specie. 1. quia Saxones non nisi communi consensu in Britanniam evocati teste Gilda Sapiente & Nennio, qui eo tempore vixerunt. Verba sunt: Initum est consilium, quid agendum, placuitque omnibus cum suo Rege Vortigerno, ut Saxonum gentem in auxilium vocaret. 2.quia tempore Alfredi Regis Saxonum leges conditæ fuerunt à Communi Concilio Ep scoporum & Senatorum: & Beda testatur multis in locis in Concilio publico servasse Reges, Sacerdotes privatos (per quos intelligitur totus populus) & optimates suum quemque ordinem. Sic Ethelbertus, Rex Cantii Cantuariæ cum Optimatibus convocato ibidem communi concilio tam Cleri quam populi deliberavit de nego-

egociis regni. Sic de Ina rege West-Saxo-um legitur, quod per commune concilium, t consensum & Principum & Comitum, & apientum Seniorum & populorum totius egni gubernarit. Ita *Egbertus* primus Mo-archa omnium Anglorum coram Pontifi-ficibus & proceribus Majoribus totius An-liæ Londini consilium cepit contra Dani-os Piratas. Et in hanc rem occurrunt innu-nera loca apud antiquos historicos rerum nglicarum. Sed nullum clarius argumen-im, quam in Rege Alfredo, ut jam dictum, cujus tempore conquesti fuerunt Angli de tis Parlamentis, quæ tamen debebant sin-ulis annis bis celebrari Londini. Et hæc prio-im Regum acta omnia confirmata fuerunt Eduardo Confessore in suis legibus, quæ hunc usque diem pro fundamentalibus a-id Anglos habitæ fuere. Agnoverunt ergo risci Anglo-Saxonum Reges supra se ali-uem majorem nim. regnum suum, & tam ricte obligati fuerunt subditis suis per jura-ientum, ut in legibus Sancti *Edoardi* cap. 7. quod est de Officio Regis, dicatur ex-resse, quod nisi fecerit, nec nomen regis in constabit. Ita Rex primo præstabat jura-ientum regno, & deinde Archi-Episcopus onversus ad populum quærebat, An consen-re vellent. Et si consentirent, tunc & ipsi

præstabant regi homagium, Hinc antiqui Saxonum J. Cti illum Canonem, Rex non habet parem, ita limitant, nimirum, in justitia exhibenda, sed in justitia suscipienda eum dicunt esse minimum de regno suo. Et ita speculum Saxonicum, quod conscriptum fuit ante adventum Normandorum, dicit, De factis regum non debent nec possunt Justitiarii nec privatæ personæ disputare. Veruntamen Rex in populo regendo superiores habet, qui debent ei frenum ponere.

XII.

Fuerunt plerumque electiva.

Probatur 1. Ex illa formula, An populus consentire vellet. 2. Quia multi reges magna instantia petierunt à Parlamento, ut eorum liberi succederent in regno. At vero hæredes secundum jus commune non opus habent confirmatione vel approbatione. 3. Quia nunquam apud antiquos Saxones, neque etjam primis Normannorum temporibus juramentum fidelitatis extensum fuit ad regis hæredes vel successores, sed ad solum regem in tempore. 4. Quia frequenter vel primogeniti filii, vel propiores cognati præteriti fuerunt & regnum ad illos translatum, qui non poterant prætendere hæreditatem: Ita ut illa formula Regi & Hæredibus non reperiatur

tur recepta fuisse ante dissidium Eboracensium &Lancastrensium i.e. circa A.C.1400.

XIII.

Post Anglo-Saxones Dani regno potiti sunt.

Circa A.C. 800. Dani & Normanni omnem Occidentem piratica sua infestarunt, præcipue Belgium, Britanniam & Galliam, donec tandem A. 1013. Sueno Rex Danorum Anglia potiretur. Sed primo anno iterum pulsus fuit ab Ethelredo. Sed A. 1016. Canutus manus recuperavit dimidiam partem regni Angliæ, Altera penes Edmundum cognomine ferreum latus remanente, qui defunctus A. 1017. totam Angliam Canuto reliquit. Atque hic est Canutus ille potentissimus Danorum Rex alio nomine dictus *Lamprecht*, qui tria regna Daniam, Angliam & Norwegiam simul possedit. Permansit Anglia in potestate Danorum Annos 26. nim. usque ad Annum 1042. quo tempore omnes Dani conspiratione Anglorum simul trucidati fuerunt, & Regnum restitutum *Edoardo* Confessori legitimo Regi.

XIV.

Inde Anglia ad Normannos pervenit.

A. 1066. Occaſio fuit Exilium *Edoardi* Confeſſoris in Gallia, in quo Guilielmo Normanniæ Duci tanquam cognato ſuo permiſit ſucceſſionem in regnum Angliæ, quæ tranſactio confirmata fuerat ab *Haraldo* filio illegitimo *Edoardi*. Sed cum *Haraldus* poſt obitum *Edoardi* regnum occupaſſet, *Wilhelmus* cum exercitu trajecit, jus ſuum armis vindicaturus. Prælium commiſſum in Suſſexia, in quo ſuperiores Normanni & Anglorum 60000. occiſi una cum ipſo *Haraldo*. Ita *Wilhelmus* regno potitus titulo Conqueſtoris, ita tamen ut non in eo, ſed electione populi jus ſuum fundaret. Omnes enim leges & Hiſtorici ejus temporis teſtantur ipſum poſt obtentam victoriam conſenſu populi regem creatum & electum. Videantur leges Sancti *Edoardi* & *Reges Wilhelmi*.

XV.

Sub his regibus regnum diu fuit electivum.

Idque probatur ex vetuſto libro Cadomenſi, in quo deſcribitur obitus *Wilhelmi* Conqueſtoris. Verba hæc ſunt *Wilhelmi*: Neminem regni Angliæ conſtituo hæredem.

Non

Non enim tantum decus hereditario jure possedi. In eo testatur *Wilhelmus* se nullum relinquere regni heredem, propterea quod non jure successionis sed armorum ac electione venisset ad regnum: neque primogenitum, cui tamen successio seu hæreditas debebatur, sed secundogenitum *Wilhelmum Ruffum* proceribus commendavit, qui etiam electus à populo successit. Et ita *Henricus* I. *Stephanus*, *Henricus* II. *Richardus* I. *Iohannes* electione pervenerunt ad regnum: idque clarissimum est ex historia coronationis *Iohannis*, in qua Archi-Episcopus in pleno Parlamento hæc verba protulit: Audite universi. Noverit discretio vestra neminem habere jus successionis ad hanc coronam nisi unanimi consensu regni post invocationem Spiritus S. electus, & secundum morum eminentiam præelectus. Sed si quis ex prioris regis stirpe dignior fuerit & melior aliis propius & promtius in electionem ejus est consentiendum, quemadmodum jam contingit in Comite *Ioh.* hic præsente. Videatur *Matthias* Paris West-Monasteriensis & alii ejus temporis, ex quo patet, qualis fuerit successio antiquorum regum Angliæ; nimirum si Rex aliquis haberet liberos, superiores aliis virtute, sapientia aliisque dotibus vel saltem cæteris pares, eos fuisse primarios regni candidatos &

reliquis aliis prælatos. Et talis succeſſio hodieque obtinet in regno Daniæ, Poloniæ, & in ipſo Imperio Romano.

XVI.

Hæc Normannica invaſio regnum vehementer immutavit.

Inprimis linguam. Nam *Wilhelmus* omni modo conatus fuit abolere linguam Anglo-Saxonicam & Normannicam introducere, & in eum finem leges Normannica lingua ſcriptas introduxit, & publicas cauſas ea agi voluit. Decrevit quoque ne ullus Anglus munia publica gereret. Soli Cantii ſuam libertatem & antiquas leges armis defenderunt, unde proverbium, Cantii & omnes *Chriſtiani* nunquam fuerunt domiti.

XVII.

Regnum Manniæ eodem tempore exortum fuit.

Inſula Mona medio mari inter Angliam & Hiberbiam ſita, eo tempore quo Normanni Critanniam infeſtarunt, titulo regni ornata fuit, qui tamen in poteſtate Anglorum fuerunt. Complectebatur autem illud regnum varias inſulas maxime *Hebrides*: unde Rex Manniæ appellatus fuit Rex Inſularum. Memorabiles ſunt leges quæ in parvis illis inſu-

insulis obtinebant, inprimis compendiosæ ad finiendas lites. Inter eas hæc est, Furtum gallinæ majus est furto equi & tauri; cujus legis ratio reddi potest ex illis quæ Justinus lib. 2. de Scythis tradit: Et quia gallina facilius occultari potest quam bos vel equus. Omnes controversiæ brevi tempore finiuntur absque scripto vel advocatis. Sed in gravissimis casibus 12. eliguntur, quos vocant Claves Insulæ, quorum arbitrio atque sententia partes stare coguntur. Apud eos hodieque obtinet vera stipulatio, nimirum per traditionem stipulæ, quod majus fidei signum, quam si magni precii res traderent. Multa ergo præclara hi Insulani retinuerunt instituta, ac longius remoti fuerunt à vitiis cæterorum Britannorum. Duravit hoc regnum usque ad tempora *Alexandri* III. Regis Scotorum, qui insula potitus fuit A. 1266. Sed mox ipsa Mannia emptione pervenit ad Anglos. *Hebrides* autem manserunt in potestate Scotorum.

XVIII.

Angli Hibernia potiti.

A. C. 1172. sub Rege *Henrico* II. Antiquissimis autem temporibus Hibernia divisa fuit in quamplurima regna, quorum tamen quatuor præcipua Regnum Ulto-

niæ, Lageniæ, Momoniæ & Conachriæ. Inter hos reges plerumque potentior ſeſe nominavit Monarcham Hiberniæ, quemadmodum etiam in Heptarchia Saxonum factum diximus. Cum ergo Monarchia Hiberniæ perveniſſet ad *Rodericum* Regem *Conachtiæ*, *Dermitius* Rex *Lageniæ*, vir ſceleratus, uxorem *Ororicii* Regis Methiæ per vim abripuit. Hujus feminæ raptus finem impoſuit omnibus regnis Hiberniæ. Nam *Ororicus* apud *Rodericum* Hiberniæ Monarcham accuſavit *Dermitium* tanquam raptorem, ejuſque auxilia ſolicitavit. Hinc bellum: in quo inferior *Dermitius* ad Regem Angliæ *Henr.* II. confugit, à quo etiam ſuſceptus & bonam ſpem habere juſſus eſt. Videbat enim Rex Angliæ Hiberniam non niſi propriis diſſidiis expugnari poſſe. Cum ergo R. Angliæ publico edicto omnibus ſuis ſubditis liberam dediſſet poteſtatem arma capiendi pro *Dermitio*, *Richardus Strankbous* Comes *Pembrokiæ*, Vir magni roboris & animi, in Hiberniam cum exiguis copiis trajecit. *Wexfordia* prima urbium Hibernicarum ab Anglis capta atque ibi arx belli contra Hibernos conſtituta. *Dublinum* ipſe *Dermitius* Anglis tradidit. Ita cum quotidie plures ex Britannia trajicerent, littoralia Hiberniæ paulatim occupata & præſidiis firmata,

præ-

præsertim cum Waterfordia etiam expugnata fuisset, donec tandem A. 1172. omnes Hibernorum Reguli sese submitterent *Henr.* II. qui se vocavit Dominum Hiberniæ.

XIX.

Factiones Lancastrensium & Eboracensium gravissime adflixerunt Angliam.

Hæ factiones alio nomine appellantur ab Historicis Rosa Rubra & Rosa alba, quarum origo hæc fuit. Post obitum *Henrici* III. *Edoardus* I. Rex Angliæ factus est & prælatus fratri majori *Edmundo* Duci *Lancastriæ*, ex quo fundamento postea ferales illæ factiones Rosæ albæ & Rosæ rubræ exortæ sunt. Nam *Eboracenses* sese vocabant *Rosam albam*, Lancastrenses *Rosam rubram*, quarum factionum studia inprimis recruduerunt circa A. C. 1455. sub *Henrico* VI. ex Lancastrensibus, quem *Edoardus* IV. Rosæ albæ Princeps seu Dux *Eboracensis* A. 1460. regno depulit. Sed intra decennium *Henr.* VI. iterum ex carcere liberatus *Edoardum* IV. in Flandriam fugavit, quem *Carolus Audax*, cujus sororem duxerat paulo post restituit A. 1471. Atque tunc *Henr.* VI in carcere necatus fuit, Princeps tanta vitæ sanctimo-

nia, ut etiam à Pontifice in ſanctorum catalogum relatus ſit. Poſt mortem *Edoardi* IV. *Richardus* frater ejus flagitioſiſſimæ vitæ cum tutorem ageret *Edoardi* V. Regis minorennis, eo cum fratre nefarie occiſo, atroci tyrannide regnum occupavit: & occaſionem dedit roſæ rubræ ſeu Lancaſtrenſibus repetendi jura regni. Erat autem caput *Lancaſtrenſium Henricus* Comes Richmondiæ, qui victo ad Leceſtriam & occiſo *Richardo* III. Rex Angliæ factus fuit A. 1485. dictus *Henricus* VII. Cumqne unica tantum ſupereſſet filia ex factione *Eboracenſium*, nimirum *Elizabetha*, illa in uxorem ducta *Henr.* VII. roſam albam & roſam rubram conjunxit ac ſemina factionum illarum in perpetuum extinxit, unde hodieque inter inſignia regum Angliæ duplex roſa, alba & rubra conſpicitur. Quanquam vero Margaretha *Edoardi* IV. vidua, *Caroli* Audacis Burgundiæ Ducis uxor flagrantiſſimo contra Lancaſtrios odio nihil non tentaret adverſus *Henricum* VIII. ſubornatis pro *Edoardo Warwicenſi Clarentiæ Comitis* filio obſcuriſſimis nebulonibus, quodam *Lamberto* & *Ioh. Lincolnenſi* & *Petro Warbeekio*, qui ultimus omnium aſtutiſſime perſonam ſuam egit ac ſe Regem Angliæ in Hibernia ac Scotia fecit, tamen prævaluit fortuna *Henrici* VII.

cujus etiam tanta fuit ſapientia ut ſeculi ſui *Salomon* appellatus fuerit, de quibus rebus lectu digniſſima eſt hiſtoria *Henrici* VII. ſcripta à *Franciſco Bacono Verulamio*. Extinxit ergo *Henr.* VII. has factiones tribus potiſſimum mediis, primo conjungendo familiam ſuam *Lancaſtrenſium* cum Eboracenſi per conjugium *Elizabethæ Edoardi* IV. filiæ: 2. *Edoardum Warwicenſem Clarentiæ* Ducis filium adhuc puerum Londini in foro publice ſecuri percutiendo, & 3. *Richardo Polo* conſobrino ſuo cum *Margaretha Clarentiæ* filia nupto, per quod conjugium ſui generis reliquias fecunda prole auxit: Et ab eo tempore regnum pacatum manſit.

XX.

Cambria titulo principatus Walliæ ad regnum Angliæ pervenit.

A.C. 1254. ſub *Henrico* III. Nam cum Britanni à Saxonibus pulſi omnem amiſiſſent regionem campeſtrem & planam, profugerunt verſus Occidentem in altiſſimos montes, atque ibi natura locorum tuti & inexpugnabiles ſubſtiterunt condito peculiari regno quod Cambriam appellarunt. Ultimus eorum Rex fuit *Cadwallader*, cum quo omnem ſpem recuperandi Britanniam ami-

amiſerunt. Poſt eum Cambria diviſa fuit in *Meridionalem* & *Septentrionalem*, quarum utraque peculiares ſuos reges habuit, quibus circa A. C. 1140. extincto regum nomine Principes ſucceſſerunt, quorum ultimus *David* Londini propter rebellionem ſecuri percuſſus fuit. Ac tum temporis Cambria plene in poteſtatem regum Angliæ pervenit, quam *Henr.* III. *Eduardo* filio ſuo titulo principatus Walliæ donavit, atque ab eo tempore primogeniti filii regum dicti fuerunt Principes Walliæ. Nam antiqui Saxones propter linguæ diverſitatem appellarunt Cambros voce Germanica Wallos, qua hodieque utimur in denotandis hominibus barbarę & nobis non intellectę linguæ. Stante antiquo regno Cambrię Offa Rex Mericorum foſſam & vallum inter *Sabrinam* & Deam flumina ſtruxit, & Cambriam à reliqua Britannia ſeparavit lege lata qua capitale erat ſi quis Cambrorum trans illam foſſam cum telo comprehenderetur. De Cambris notandum quod diligentiſſime conſervent genealogias ſuas ut nullus fere ruſticorum ſit, qui non genus ſuum ab ipſo Noa deducere poſſit.

SECUNDA PERIODUS.

CANON I.

Omnia regna Britannica conjuncta sunt.

ANno C. 1603. post obitum *Elizabethæ* per *Iacobum* VI. Regem Scotię. Causa remota hujus unionis fuit matrimonium *Margarethæ* filiæ *Henrici* VII. cum *Iacobo* IV. Rege Scotorum. Nam cum per 12. secula perpetua inter Anglos & Scotos bella fuissent, neque armis alterutra gens domari posset, tandem cogitatum fuit de matrimonio, quo universa Britannia aliquando conjungeretur, idque inprimis operam dedit *Henr.* VII. ex cujus filia descendens *Iacobus* VI. jure sanguinis *Elizabethæ* successit. Et quanquam *Henr.* VIII. inter alias pacis cum *Iacobo* V Rege Scotorum conditiones etiam hanc tulisset, ut ejus filio *Edoardo* VI. *Maria* unica regni Scotiæ hæres nuberet, res tamen à Gallis impedita fuit, quorum artibus factum, ut *Maria* spreto *Edoardo Franciscum* II. Regem Galliæ duceret: atque hæc novi belli inter Scotos ac Anglos causa fuit. Causa proxima *Elizabetha*, ultima ex stirpe *Wilhelmi* Conquestoris, quæ propterea innupta mansit, ut universa Britannia in unius pote-

sta-

ſtatem concederet: atque hinc *Iacobum* VI. ſucceſſorem & hæredem teſtamento ſcripſit. Et hac ratione 360. Inſulæ Britannicæ in unam Monarchiam coaluerunt titulo regni Magnæ Britanniæ. Nam inter alias conditiones, quibus Anglia & Scotia conjunctæ ſunt, etiam hæc fuit, ut titulus utriuſque regni eſſet impoſterum *Magna Britannia*, idque ad evitandam adverſarum nationum æmulationem, cum nec Angli Scotis nec Scoti Anglis poſtponi vellent. Et tum impletum fuit vaticinium antiquiſſimum *Merlini* famoſiſſimi apud Britannos Magi, qui prædixit fore ut abolito Anglorum nomine Britanni iterum in Inſula regnarent.

TERTIA PERIODUS.

I. *Regna Britannica iterum ſeparata ſunt.*

ANno 1649. Cauſa fuit bellum civile inter Regem & ejus ſubditos primo Scotos, ſecundo Anglos. Ex quo bello tria conſecuta ſunt, 1. Rebellio & Defectio Hiberniæ. 2. Regis captivitas & mors, & 3. Separatio Angliæ & Scotiæ, quarum illa titulum liberæ Reipublicæ aſſumpſit, hæc adhuc incerta fluctuat.

AP.

APPENDIX DE CAUSIS MOTUUM Ac Mutationum in Britannia.

CANON I.

QUemadmodum in obscura nocte rectam viam invenire peregrino difficillimum, ita causas maximorum motuum & mutationum in Britannia nemo nisi arcanorum gentis peritus facile pandet: Et tam varii fuerunt effectus, ut una omnibus causa adscribi nequeat. Sed quantum humana concipere potest prudentia, fons & origo omnium motuum dependet à duabus factionibus quæ cœperunt temporibus *Elizabethæ*, quarum una appellabatur *Puritana*, altera *Episcopalis* seu *Protestans*. Harum factionum origo admodum fuit exilis. Nam cum prima religionis reformatio sub *Edoardo* VI. cœpta mox iterum abrupta ejus morte fuisset, Papismus à Maria restitutus intra quinquennium iterum ab *Elizabetha* sublatus fuit. Quemadmodum autem ab uno extremo ad alterum difficilis ac periculosus est progressus, ita quoque *Elizabetha* plerasque

que Pontificias reliquit ceremonias conten ta purgaſſe doctrinam & craſſas ſuperſtitio nes. Hinc retenti Epiſcopi cum omnibus de pendentiis. Miſſa quoque pŏtius tranſlata ir linguam Anglicam quam ſublata. Id multi diſplicuit, ſed ſine graviori offenſa, cum & *Elizabethæ* imperium eſſet moderatiſſimum & Epiſcopi ejus temporis viri pii, hoſtes im pietatis & ſuperſtitionis, alieni ab ambitu & dominatione, multo minus ullam adfectan tes in diſſentientes tyrannidem. Et erant ea tempora, in quibus difficillimum erant aliquid in Eccleſia mutare propter perpetua bella contra Hiſpanos, Pontificem R. & Gallos. Sub extrema tamen *Elizabethæ* emerſerunt factioſa nomina, & res à verbis & ſcriptis ad odia & animorum diviſionem deducta fuit. Hæc ſemina: ſed quæ facile corrigi potuiſſent ne tam peſtilentem fructum producerent. Sed quamprimum Jacobus in regnum ſucceſſit, jam aperte regnum in duas diverſas partes dividi cœpit. Quippe Scotia ex qua ad regnum vocatus. *Iacobus* Epiſcopis carebat, & improbabit Hierarchiam Anglorum, ac niſi occultum ſpem feciſſet *Iacobus* ſibi quoque non omnino improbari Epiſcopatum, non tanto applauſu in regnum Angliæ receptus fuiſſet. Rex factus convocavit utramque partem ac publica diſputatio-

ne

e inquiri voluit retinendusne esset Episcopatus an vero abolendus? Disputatum, sed magno cum præjudicio pro Episcopis, quorum partes Rex aperte amplectebatur. Igitur gratia & favore Principis superiores Episcopi tollere cristas, secus sentientes non tantum improbare velut errantes, verum odio prosequi tanquam malitiosos & Regis ac Monarchiæ hostes. Ita Episcopi occupato Rege non destiterunt dominationem tum in spiritualibus tum in temporalibus affectare. Sed validior erat Anglia quam ut tam facile admitteret mutationem. Igitur primum aggredi visum Scotos, & habita Synodo Perthensi A. 1616. restituti Episcopi, qui jam fere per 50. annos exularant. Prætendebat Rex informitatem. Et nisi Ecclesia Scotica in omnibus conformaretur Anglicæ, nunquam unionem regnorum fore perpetuam ac stabilem dicebatur. Ulterius progressus non fuit.

II.

Hæc omnia non suffecissent ad tantas tempestates concitandas nisi accessisset quoque gravis Reipublicæ corruptio: cujus initium cœpit cum ipsa morte *Elizabethæ*. Principia *Elizabethæ* fuerunt duo, 1. Perpetuo defendere partem Protestantium contra Pontificios. 2. potentiam Hispanorum quibuscunque posset modis debilitare & frangere. Hinc

Fran-

Francis, Belgis, Lusitanis perpetua contra Hispanos auxilia tulit. Hęc duo principia statim funditus evertit *Iacob.* pace facta cum Hispano, & Protestantibus calamo quidē, quo etiam privati possunt, sed non gladio defensis. Hinc paulatim corruptio in Aula, & ipsa Anglorum gens per se bellicosa desuetudine armorum res novas cupere & affectare.

III.

Sub *Iacobo* ergo fumare Anglia, sub *Carolo* autem erumpere flamma cœpit, cujus maximum irritamentum fuit conjugium ejus Hispanicum tentatum & affectum: Gallicum autem perfectum. Nam cum dixisset uxorem & religione & moribus diversam non potuit non inde magna corruptio derivari in aulam atque etiam animum ejus. Id certum est Anglos hoc conjugium pro signo magnæ alicujus calamitatis habuisse, quia cum à tot retro seculis inimicissimi sint Gallorum, tum maxime his ultimis annis eos ab alienavit religio. Et *Carolus* quidem, de quo vivo parente, Angli neq; boni quid neq; mali judicabant, quippe qui sectabatur vitam quietam, remotam à vitiis juvenilibus & ab omni fastu vel ambitione, statim initio regni sui multum fefellit opinionem populi sui, *Buckinghamio* in ampliorem quam apud Patrem fuerat, gratiam recepto, & Episcopis non

n jam per gradus ſed uno impetu ad ſum-
um in rebus humanis faſtigium promotis.
am vivo Jacobo nemo Epiſcoporum auſus
iſſet ſuum officium à gratia Dei deduce-
, ſed fatebantur ſe ſolius Regis arbitrio
re, quod ſub *Carolo* immutatum.

IV.

Bellum Rupellenſe infelix, res Germa-
cæ lentis conſiliis & occulta proditione
actæ, Parlamenta infectis rebus temere ab-
pta abalienationem hactenus ſanabilem
animo populi produxerunt ad ſummam
eſperationem, neque hoc ignorabat Rex,
que ideo decreverat nullum amplius con-
ocare Parlamentum. Interea temporis va-
uo ærario cum quod per temeritatem effu-
ſum per ſcelera implendum eſſet, miniſtri
jus varias excogitare artes, populo tributa
ovo exemplo imponere, provocantes ma-
eſtatis crimine & carceribus macerare, o-
nnium impunitatem ex ſola Regis præro-
gativa ſperare. Ipſe Straffordius, qui poſtea
ro rege decapiratus fuit, acerrime ab initio
e his corruptionibus oppoſuit, atque etiam
carcerem pertulit.

V.

Hæc quaſi fundamenta magnorum mo-
tuum fuerunt. Et nihil jam deerat Scotis
atque Anglis niſi occaſio, qua ſeſe ab ini-
quiſ-

quiſſima Epiſcoporum & malorum conſi-liariorum tyrannide in libertatem vindica-rent,quæ etiam data fuit A. 1637. Quo anno Epiſcopi novam Liturgiam, novos canones, & in univerſum novam religionem introdu-xerunt,ſed tam malo ſucceſſu, ut primus tu-multus in urbe *Edimburgenſi* exortus, mo-mento totam Scotiam corripuerit. Una o-mnium vox ut tollerentur Epiſcopi, ac leges & Parlamenta reſtituerentur Hi Regem fal-ſis rumoribus occupare, denique ad arma impellere. Neque ſegniores Scoti, gnari to-tam Britanniam oppreſſionum & tyrannidis feſſam, ac longe maximam populi partem contra Epiſcopos & malos conſiliarios con-ſpirare. Rex quanquam exercitum ſumpti-bus Epiſcoporum & aliis illegitimis execu-tionibus conſcripſiſſet, tamen plus ſibi ab eo quam à Scotis metuebat. Quippe rudis miles aperte impetum fecit in Epiſcopos, in Papi-ſtas, & ſatis oſtendit ſeſe idem ſentire cum Scotis. Pax ergo facta cum Scotis iis condi-tionibus quas ipſi ferebant. Abrogati in æter-num Epiſcopi, reſtituta Parlamenta, Scoti pro fidelibus ſubditis, & eorum hoſtes pro hoſtibus regni declarati A. 1639.

VI.

Quemadmodum flamma extincta, niſi ipſe fomes tollatur, facile novum oriri po-teſt

t incendium, ita Scotis pacatis effectus idem ad tempus ſublatus, ſed cauſa re- nſerat, & ſcintillæ primi belli ex Scotia Angliam delatæ. Quæſitum tamen reme- im in tempore haud dubie profuturum, i malignitas quædam intervenisset. Id e- novi Parlamenti convocatio, eo fine, ut n tantem ſymptomata morbi, verum ipſa ſa & prima radix tolleretur. Cauſa qua impulſus fuit, ſumma & inevitabilis ne- ſitas. Nam cum Scotis in proxima pacis nſactione, in ſumptuum compenſatio- n promiſſa fuiſſent ducenta Sterlingarum arum millia, exhauſto regis ærario non abat aliud remedium, quam ut Parla- nti liberalitate ipſis ſatisfieret. Et hac oc- one Parlamentum convocatum fuit Lon- i 3 Nov. A. 1640. Ipſe Rex paulo ante rtem profeſſus fuit, male ſe egiſſe, quod ndinum ſedem Parlamento elegerit, ur- n magnam & facilem tumultibus. Sed vix libile eſt tantam tempeſtatem, quæ per verſam gentem diffundebatur, potuiſſe us loci mutatione evitari. Initia magni us conventus incredibilem ſpem facie- t boni ſucceſſus Nam & ipſe Rex profi- itur ſe in ſolidum committere regni ne- ia magno ſuo conſilio, & quidquid hacte- peccatum, tam promte emendaturum,

quam

quam ſe invito vel ignorante illa acciderint
Parlamentum eodem adfectu ipſi reſponde
bat. Hinc lætitia in populo & omnes vitan
ſuam eouſque productam, quo libero frue
rentur Parlamento, ſibi impenſe gratulaban
tur. Primum negocium fuit ſatisfacere Sco
tis. Parlamentum profitebatur ſibi tantun
fidei non eſſe apud populum pro illa pecuni
ſumma. Metuere omnes, ne, quod tam fre
quenter factum, impetrata pecunia Parla
mentum diſſolveretur. Quod ſi Rex pro
mitteret non ſe ante dimiſſurum hoc Parla
mentum, quam omnes regni difficultate
expeditæ fuerint, tum ſe ultro omnia hæ
debita perſoluturos. Rex, quod nemo un
quam ſperaviſſet, acceptis his conditionibu
ſe ipſum exuit poteſtate dimittendi Parla
mentum, & ipſis liberum fecit continuar
ſeſſiones ſuas, quamdiu placeret. Haud du
bie, nulla res damnoſior regi fuit, quam hæc
Sed ea temporum erat anguſtia, ut aliter ſ
ex tot difficultatibus quam hac ratione ex
pedire non poſſet. Quemadmodum nautar
videmus in naufragii periculo ne precioſiſſi
mis quidem gemmis parcere, dummod
ſalvus ad littus enatare poſſit.

VII.

Mox ergo ſuſpiciones, diffidentia, abalie
natio inter regem & Parlamentum orir

Nar

Iam Episcopi & mali consiliarii videntes
ctum esse de sua dominatione, & rationem
psis reddendam administratæ Reipublicæ,
el capitis periculo primo omnium cona-
antur regem pari periculo involvere, & si
liter fieri non posset, saltem præclare cum
pso occumbere. Hinc Regem variis suspi-
ionibus & metu impleverunt, facili ipsius
atura ad credenda accipiendaque quævis,
periculosa, & à Puritanis profecta forent.
Prima indicia abalienati Regis erumpebant
rofectione Regis in Scotiam decima Au-
gusti 1641. Intermedio temporis circa finem
Octobris erumpit inaudita rebellio Hiberno-
um, in qua spacio 6. mensium ducenta ho-
ninum millia perierunt. Atque hoc fuit
lassicum tantorum bellorum quæ in hunc
liem durant.

VIII.

Nam hac occasione Rex suspectus factus
uit, quasi ex aula plena Jesuitis & aliis de-
peratis hominibus fluxisset atrox illud fa-
inus, & suspicio aucta, quod Hiberni ad-
nodum sero & lente, insuperque satis frigi-
le rebellionis damnarentur impressis non
nisi 40. exemplarib., cum tamen Scoti ad pri-
mos motus per omnia templa in Anglia pro-
clamati fuerint Dei & regis hostes: ex quo po-
pulus, jure an injuria non disputo, colligebat

K lon-

longe in majori gratia esse apud Regem Hibernos, Papistas rebelles, horribiles homicidas, quam sint Scoti, Religione Protestantes, & in quorum toto bello vix 100. perierunt etiam aperto prælio homines.

IX.

Ita totam Britanniam novi belli flamma corripuit: Rex ex Scotia Londinum reversus 2. Decembris A. 1641. reperit multum imminutam affectionem populi, & exhibita ipsi declaratio fuit ? Parlamento, quæ omnes causas malorum Britannicorum complectebatur, simulque remedia ostendebat: Atque hinc jam incipit apertum atque irreconciliabile odium inter Regem & Parlamentum, quæ accendit uxor ipsius moribus Gallicis & ab Anglorum libertate natura sua aliena. Utcumque se res habeat, prætextu popularium tumultuum, sive proprio motu, sive etiam aliorum impulsu Parlamentum suum deseruit, & missa in Hollandiam uxore, arma ibi ad bellum faciendum coëmi curavit. Ipse neglectis obtestationibus subditorum suorum *Eboracum* concassit. Ita caput à corpore divisum non potuit non totius regni interitum procurare.

X.

Rex Eboraci specie custodum corporis copias colligere & exercitum conscribere.

Par-

arlamentum proponere conditiones pacis, uæ, nisi Deo aliter fuisset visum, omnino cceptabiles esse debuissent. Præcipuum caut controversiæ erat militia. Parlamentum rgebat in tanta rerum Britannicarum confsione, & tanta exterorum conspiratione ous esse omnino totam gentem armare, & mnes qui arma ferre possent contra hostim invasionem instruere. Idem Rex volet, sed controvesia erat de Ducibus. Rex eos o suo arbitrio legere, Parlamentum vero ios admittere, quam qui ipsis probabantur, lebant. Et ad hanc quoque exiguam omni-, si adfectus ponas & præjudicium, discrentiam varia proposita fuerunt remedia, æ & Regi satisfacere potuissent & Parlaento, si mens non læva fuisset.

XI.

Cum Rex perseveraret in suo proposito, rlamentum provocare cœpit ad suam auoritatem, & sibi Rege vel seducto vel note commissam esse regni curam ostent, neque se salutem populi deserturos proer solam Regis veluntatem. Ab eo tempoacerrime disputari cœptum est, quantum ris Rex, quantum etiam Parlamentum haat Extant utriusque partis scripta plena udentiæ Politicæ & saluberrimorum præ-

ceptorum. A verbis ad verbera, à ſcript
ad arma mox deventum fuit, hac occaſion

XII.

Erat Hulla Eboracenſis Ducatus oppidu natura loci & ingenio munitiſſimum, & i quo aſſervabatur armamentarium totius A gliæ. Ad id intercipiendum Rex cum inerm comitatu quaſi obiter inviſurus acceſſit. S Præfectus ejus *Hothamus*, præcluſis port regi, proſpiciens de vallo reſpondit non poſſe intromittere regem niſi intellecta Pa lamenti voluntate. Rex voti ſui irritus n ante receſſit, quam *Hothamus* proclamat fuiſſet traditor & rebellis. Urbem quoq collectis hinc inde copiis obſidere, & vim i tentare cœpit. Hoc rumore Londinum d lato, ſtatim ad arma conclamatum, appr batum Hothami factum, & judicatum fu Regem pravo conſilio ſeductum moliri be lum contra Parlamentum ſuum: quod ſi f cere pergeret, negligentem muneris ſui r gii, & quicunque partes ejus ſequerentu hoſtes regni fore. Ita utrinque exercitus co ſcripti, & Parlamenti Dux creatus Robert Comes Eſſexiæ.

XIII.

Ita bellum utrinque cœpit menſe Jul Anni 1642. Regiæ partes haud dubie initi infirmiores fuerunt, atque etiam conten

pt

ibiles Parlamento. Sed paulatim defe-
ione nobilium, urbium ac provinciarum
a aucta, ut non tantum æquales, verum
tiam superiores fierent. Primus ergo bel-
annus inter mutuas colluctationes exa-
tus, ac nihil magis memorabile quam im-
nensium argenti & auri pondus collatum ex
ota Anglia in usum belli. Qui spectarunt,
olomonis thesauros non potuisse esse majo-
es referunt. Adeo certatim omnes quid-
uid opum possidebant, ultro contulere.
Hæc omnia alimentum potius bello præ-
uerunt, quam optatum successum. Nam
xteri spe prædæ ac stipendiorum magnitu-
line invitati gregatim in insulam advola-
unt nulla publici boni cura ac ne odio qui-
lem, tantum ut bellum traheretur, &
psi ditiores in patriam suam remearent. Hoc
bellum tres inprimis magnas periodos ha-
buit. Prima fuit ab initio usque ad annum
1643. & mensem Augustum. Quo tem-
pore intra unius anni spacium ita mutata
fuit fortuna belli, ut Rex ex contemptibili
metuendus, ex victo victor repente evaserit
tam admirabili successu, ut circa finem Ju-
lii 1643. nihil restaret Parlamento, quam
aliquot urbes & propugnacula, nullus exer-
citus, nullæ copiæ, mera desperatio superes-
set. Eo momento debellari potuisset An-
K 3 glia,

glia, ſi Rex tam victoria ſciviſſet uti quam vincere. In ſolo Londino reſtabat belli momentum. Ea capta urbe haud dubie tranſactum fuiſſet, & ipſa urbs aperta & contra omnem vim indefenſa erat. Quod ergo olim Spartani, idem tunc Londinenſes fecerunt. cumque in horas metuerent irruptionem regiorum, repente veluti divino ſpiritu afflati communire urbem ſuam, ac quaſi vaſtum illud corpus defendi poſſet, exſtruere propugnacula cœperunt. Ibi vidiſſes viros fœminaſque omnis ætatis, ſexus ac conditionis ad tympani ſonum cum vexillis atque ligonibus velut ad bellum progredi. Interea Deus omnia conſilia regis conturbavit, Nam cum finire bellum intra unicum menſem potuiſſet, ipſe omiſſo capite rerum Gloceſtriam obſedit, oppidum Sommerſetiæ exiguum, quod defendebatur à fortiſſimo Vito Edoardo Maſſio. In hac obſidione fortuna totius belli circumacta fuit, & Rex enervatus, fractuſque, Parlamenti conditio deſperata, iterum ad meliorem ſtatum evecta fuit. Nam cum Regem detineri ante Gloceſtriam innotuiſſet, Londinenſes quidquid reſtabat opum & virorum conferre, exercitum reparare, eo ſucceſſu, ut obſeſſis jam ad extremum deductis Rex obſidionem ſolvere coactus fuerit: & cum ſe reciperet prope Nuberiam,

iam, alterum commissum fuit prælium 19. Septembris, in quo victor fuit Essexius.

XIV.

Secunda periodus ab obsidione Glocestriæ usque ad primam obsidionem urbis Oxonii deducitur, quo tempore Scoti atque Hiberni in partes traducti. Nam circa finem Augusti, cum Regis partes ubique superiores essent, Parlamentum missis in Scotiam legatis, illam gentem auxilio evocavit. Initum ergo fuit fedus, & Scoti cum firmo exercitu media hieme Angliam ingressi sunt. Hiberni contra regiis partibus sese adjunxerunt. Ab eo tempore Parlamenti fortuna indies augeri, Regis decrescere, quanquam mira rerum vicissitudo esset. Sed haud dubie prævaluerunt Parlamentarii in maximo illo prælio ad *Eboracum*, quod factum 17. Julii 1644. in quo totius nobilitatis quæ regias partes sequebatur, flos cecidit, ac illorum ad 8000. interfecta fuerunt. Secuta urbis Eboracensis, quæ post Londinum secunda totius Angliæ est, deditio, simulque omnes Septentrionales Provinciæ præter paucas arces in potestatem venere, Interea Scotiam adfligebat Montrosius exigua manu admirabili successu pugnans: ita ut regiæ partes iterum prævalerent non tam sua virtute, quam discordiis hostium. Nam eo potissimum tempore Par-

lamentum in duas factiones distractum fuit, *Presbyterianos* & *Independentes*: quæ ortæ sunt ex controversiis de regimine Ecclesiastico. Nam cum Episcopis sublatis Synodus convocata fuit ex Scotia & Anglia ad deliberandum de reformanda Ecclesia, Theologorum magna pars approbabat regimen Ecclesiarum Scoticarum, Helveticarum, Gallicarum, Belgicarum & Germanicarum: ut nim. per Presbyteros, classes & Synodos sacra administrarentur. His sese opposuerunt sex septemve alii magis odio Scotorum, quam quod res tanti momenti esset: ac profecto in summa rei conveniebant omnes; de formulis tamen ac circumstantiis litigabatur. Cęterum hujus dissidii occasione mutatio longe gravissima & in Ecclesia & in Rep. consecuta fuit. Tum audita primum vox Independentium fuit, quo nomine appellabantur omnes, qui sese Scotorum opinionibus opponebant, & pro libertate conscientiarum differebant. Hæ factiones magis Politicæ quam Ecclesiasticæ fuerunt, & Rex certissimam exinde concipiebat spem victorię & successus rerum suarum; idque sine dubio contigisset, si occasione, quæ tam pulchra offerebatur, in tempore uti, quam eam longa mora corrumpere maluisset. Hic status rerum fuit circa finem Anni 1644. & tum in Parlamento suscepta fuit

fuit res desperati consilii, eaque felicissimo successu ad exitum perducta. Nam cum hujus plurimos habuissent Duces, & divisos exercitus, decreverunt omnibus imperium abrogare, & novum exercitum conflare sub uno Duce. Hæc consultatio per 4. menses protracta fuit, antequam convenire possent. Tandem creatus fuit Imperator *Thomas Fairfaxius*: decretus fuit militum numerus ad 20000. mense Aprili 1645. copiæ exauctoratæ, & miles partim dimissus, partim in nova sacramenta adactus fuit. Sed cuncta tam lente succedebant, & tanta omnium cum aversatione, ut omnino actum videretur. Vix 12000. mense Majo in campum produci potuerunt, ac in tanto numero non nisi unus veteranus miles & unus nobilis fuit, ceteri omnes Tyrones, pueri, & quorum vix centesimus unquam hostem aspexerat. Regii putabant eos vix laturos conspectum suum, victoriam certe animo præconceperant. Hic exercitus primo in Occidentem traductus fuit, & ibi prospero successu *Tauntonam* oppidum à regiis obsessum liberavit. Inde *Oxonium*, urbs regiarum partium princeps 10. Maji obsideri cœpta pessimo consilio, cum interea Rex valido cum exercitu universam Angliam perterreret. Metus inprimis auctus fuit expugnata primo impe-

tu *Leceſtria*, atque hinc trepidatio omnes pervadere ac deſperatio. Juſſus ſtatim ſolvere Oxonii obſidionem Fairfaxius & contra Regem pugnare. Prælium commiſſum fuit 14. Junii. A. 1645. in comitatu *Northamptoniæ* prope pagum *Naſebin*. Ibi miraculoſe & contra omnium hominum ſpem victus fuit Rex. Omnis ipſius peditatus ab 8000. hominum captus, ſecretæ ipſius literæ in poteſtatem redactæ, denique fortunæ ipſius ultimus finis impoſitus fuit.

XV.

Sequitur *Tertia Periodus* à 14. Junii, 1645. uſque ad 16. Auguſti 1646. quo temporis ſpacio regiæ partes non jam per gradus, ſed uno impetu collapſæ ſunt. Perpetuæ Parlamenti victoriæ, expugnationes urbium, ac ne quidem ullus adverſus caſus proſperum armorum curſum perturbavit. Quicquid teſtabat Regi militum, compulſum fuit in extremum *Cornubiæ* angulum: atque ibi quinque equitum millia in deditionem accepta, vigeſimo Junii *Oxonium* deditum, cum paulo ante obſidionem Rex mutato habitu & in ſervi perſonam mutatus in caſtra Scotorum evaſiſſet, & ab illis *Novocaſtrum* abductus fuiſſet Ultimum Regis præſidium caſtellum Cornubiæ firmiſſimum Pendennis 16. Aug. deditum fuit, ac tum toti bello finis impo-

poſitus, & ad majorem tragœdiam ac totius regni converſionem perventum fuit. Rex à Scotis non hoſtili animo; neque ut captivus, ſed ut Rex acceptus fuit. Statim motis caſtris cum toto exercitu Novocaſtrum properavit, & jam evaſiſſe omnes difficultates ac denuo triumphare ſibi videbatur. Magnis ea res motibus jactata fuit, & factionum ſtudia acrius accendebantur. Quippe Presbyteriani, quorum partes Scoti ſequebantur Rege in poteſtatem redacto nihil amplius de opprimenda altera factione dubitabant, ac tantis infortuniis mitigatus Rex nihil illis denegaturus videbatur. Hæc ſpes mox imminuta paulo poſt in totum evanuit, cum Rex quanquam captivus nihil de priſtina ſeu conſtantia ſeu pervicacia remitteret. Hæc ipſius lentitudo Scotos ſtudio ejus ſub initia flagrantes multum abalienavit, & cum Angli Regem tanquam in ſuo ſolo, & à ſuis ſtipendiariis captum repoſcerent, Scoti primo reluctari, paulatim manus dare, & tandem accepta ingenti pecunia regem Anglis tradere, qui ſub initia in liberiori cuſtodia, paulo poſt arctiori conſtrictus fuit. Duo valida conſilia pro ejus liberatione ſuſcepta ſunt. Primum à Presbyterianis, quorum capita erant *Wilhelmus Waller* & *Edoardus Maſſus*, qui tracta in partes ſuas majore parte Parlamenti ac civitate quoque

Londinensi clam exercitum conscripserunt oppressuri *Fairfaxium*, & haud dubie res in effectum producta fuisset, nisi pridie ejus diei detecta fuisset. Tum vero exercitus Londinum traductus ac in urbem intromissus omnia consilia turbavit partim fugatis partim captis qui conscii erant, Alterum longe validius à Scotis & variis Angliæ provinciis maximo apparatu susceptum. Nam Wallia, Cantium, Essexia, & Septentrionales Provinciæ simul conspirabant pro liberando Rege, ac dum in illis opprimendis exercitus occupatur, interea Scoti cum exercitu 30000. duce *Hamiltonio* in Angliam irrumpunt. Hic iterum ex summis difficultatibus plus quam humana felicitate emerserunt, qui contrarias partes sequebantur. Nam Scotorum exercitus momento victus, 5000. occisa, 9000. capta una cum ipsis præcipuis Ducibus, quorum plerique omnes in potestatem venere, *Dux Hamiltonius*, Comes Holandiæ, Arthurus Capell, Goringius, Laughorn, Bowel & Bojer, quorum plerique etiam ultimo supplicio paulo post affecti. Interea cum Rege de conditionibus pacis actum, ac in omnibus ita fere convenerat, ut merito deplorandum sit propter res nihili regem iterum occasionem componendi bellum civile amisisse. Igitur ab eo tempore non jam ut cum Rege, verum ut cum

ım captivo actum fuit. Ex carcere in carcem detrusus, male habitus, ac tandem men- Januario 1649. Londinum tractus, capitis ccusatus, & cum sese defendere nollet, conemnatus, ac 30. Januarii securi percussus uit, ac cum ipso imperium regium sepulım. Quarum mutationum causas nemo ıortalium vel satis justas vel sufficientes redere potest. Quod ergo Imperator Mauricius ixit, cum in conspectu ejus primo uxor, dein beri capite plecterentur, *Iustus* es Domine, cjusta sunt judicia tua, idem ad hanc tragoeliam non inconvenienter applicari potest.

FINIS HISTORIÆ BRITANNICÆ.

TRIA REGNA SEPTENTRIONALIA.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Dania, Norwegia & Suecia frequenter conjuncta & disjuncta regna fuerunt.

PRima & Antiquissima conjunctio trium regnorum septentrionalium facta perhi-

hibetur ſub Suibdagero Rege Norwegiæ. Sed antiquiſſima illa adeo incerta & fabuloſ ſunt, ut major illis fides quam Amadiſi com mentis adhiberi non poſſit. Conſtat tempor Taciti Suiones (ita enim Suecos appellat) ne non Sithones (qui Norwagi ſunt) reges ha buiſſe proprios: ac in Suecia abſolutam fuiſ ſe Monarchiam hæc verba Taciti in Germa nia ſua oſtendunt cap. 44. Apud Suiones u nus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. Sed hæc ſervitus paul poſt mutata in libertatem videtur. Ita enim Adamus Bremenſis vetuſtiſſimus rerum ſe ptentrionalium ſcriptor de Suecis. Reges ha bent ex genere antiquos, quorum tamen vi pendet in populi ſententia. Sithones ſeu Nor wagi γυναικοκρατίαν habuerunt. Videatur Tacitus in Germania cap. 45.

II.

Norwegia olim complures habuit Reges, donec in unius poteſtatem perveniret.

1. Nomen ejus temporibus Carolingorum Nordmannia. Ejus incolæ Normanni. Cumque illi Reguli inter ſe diſcordes eſſent, ac ipſa Scandia nimia hominum multitudine abundaret, exonerare ſe Normanni & veluti ſa-

crum Ver in exteras regiones mittere cœ-
erunt: quod inprimis circa A.C. 800. fa-
tum. Hinc illa Piratarum Normannorum
nmensa agmina per Gallias, Britannias,
ermanias latrocinio infamia, ut precibus
hristianorum solennibus addita tunc fuerit
æc formula, A furoribus Normannorum
bera nos Domine. Nec ante destiterunt,
uam Carolo simplici Gallorum Regi *Neu-*
riam, Rollo Dux normannorum eriperet,
uæ hodieque Normannia appellatur

2. Primus universæ Norwegiæ Rex A. C.
78. factus fuit Haraldus cognomine Harfa-
erus s. Comatus, conditor regiæ Harfagero-
um familiæ, quæ per sex secula continuis
uccessionibus in Norwegia regnavit, donec
n Olao A.C. 1388. extingueretur.

III.

Islandia Norwagorum *colonia est.*

Acriter controvertunt Geagraphi, num Islandia priscorum sit Thule, de qua extant disceptationes Arngrini Jonæ Islandi & Johannis Isaacii Pontani. Res tanti non est, ut in ejus examine inhærendum sit. Id potius inquisitione dignum, an quam hodie Islandiam vocamus sive Thule sit sive non incolas habuerit ante Norwegorum adventum? Id quod Pontanus contra Arngrinum satis lucu-

len-

lenter probat, & certe fieri vix poteſt; quin jam antiquiſſimis temporibus ex Scotia, Hibernia, Norwegia, vicinis regionibus, ipſa ingens & habitabilis regio incolas acceperit. Quidquid ſit, pulſi ab *Haraldo Harfagero* aliquot Norwegiæ reguli circa A. C. 900. ſeſe cum familiis ſuis in Iſlandiam tranſtulerunt, & confluentibus quotidie aliis, paulatim tota habitari cœpit. De numero incolarum conjectura ex eo fieri poteſt, quod jam A. 1090. cenſu habito inventi fuerint in Iſlandia Meridionali mille, in Occidentali 1100. in Boreali 1200. in Orientali 700. eorum tantum, qui tributa Norwegis præbebant, omiſſis pauperioribus. Initio liberi fuerunt Iſlandi ac ſuam habuerunt Rempub. donec Norwegiæ Reges jus in eos tanquam ſuæ originis prætenderent, in quorum etiam poteſtatem poſtea conceſſerunt, & ſub eorum ſceptro hodieque pacatam vitam agunt, remoti à turbis & bellis reliquarum regionum. Quis enim hibernum illud mare nulla ſpe prædæ ingrediatur. Nihilominus Turcæ Piratæ interdum in ea exſcenſionem faciunt, ac inde homines in Africanam captivitatem abripiunt.

IV.

Gronlandia Islandorum colonia hodie periit.

1. Supra Islandiam ingenti terrarum tractu sub ipso circulo Arctico ac frigida Zona Gronlandia jacet, regio antiquis non plane incognita, quibus notū fuit mare Gronium, & in eo regiones. Primus ex Islandia *Ericus Ruffus* traduxisse colonos in Gronlandiam adhuc desertam perhibetur, eumque secuti plures. ita ut tandem Gronlandia divideretur in Orientalem & Occidentalem, quarum illa 11. hæc 8. parochias habuit.

2. Ex Gronlandia Americam Septentrionalem primos accepisse incolas,& Mexicanos Norwagorum per Gronlandiam propaginem esse Hugo Grotius ante aliquot annos nugacissime commentus fuit, ejus quidem opinionis non ipse sed Abrahamus Mylius primus inventor fuit, ex quo omnia sua argumenta præterito nomine hausit ac pro suis venditavit. Extant doctissimæ contra eum Johannis de Laet observationes, ubi ostendit nec rationem temporum, nec morum, nec linguæ, nec antiquorum traditionem pati, ut origo Mexicanorum à Gronlandis deducatur.

3. Hujus Gronlandiæ omnis & notitia & memoria periit circa A.C. 1416. à quo tempore

pore diu intermissa illa navigatio fuit. Caussam referunt duplicem, tum magnam, qua Norwegia exhausta fuerit, pestilentiam, tum ingentem vim glaciei, quæ ex mari Tartarico tempestatibus ejecta omnes in Gronlandiam aditus obstruxerit. Hodie aperta quidem iterum via, sed nulli apparent in Gronlandia homines, nullum humani cultus vestigium, ut vel extinctos omnes fuisse necesse sit, vel ad interiora ac remotiora migrasse.

4. Reges Daniæ, quemadmodum in Islandiam, ita in Gronlandiam quoque dominium sibi asserunt: sed ab eo tempore, quo Gronlandi perierunt, Reges Scotiæ, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ negare illis hoc jus, ac communem omnibus in eo mari navigandi & piscandi jus asserere, qua libertate hodie Batavi quoque frustra prohibente Rege Daniæ utuntur.

V.

Reges Norwegiæ jus prætendunt in insulas Orcades.

1. Orcades & Hebrides insulæ ad Scotiam sitæ incolas ex Norwegia acceperunt, ac illius regibus diu subjecti manserunt. Unde cum aliquoties bella inter Scotos ac Norwegos ob earum possessionem orirentur, tandem

em Aquinus Rex Norwegiæ eas cessit *Alexandro* III. Regi Scotiæ.

2. Sed cum ne sic quidem cessarent controversiæ, *Christianus* I. Rex Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ, *Iacobo* III. Scotiæ Regi eas cum filia in dotem dedit, de qua transactione authenticas se vidisse tabulas Buchananus tradit. Ita Orcades à regno Norwegiæ avulsæ in Scotorum potestatem venerunt.

VI.

Helsingia potens per Norwegiam & Sueciam regnum fuit.

Hujus regni quanta fuerit amplitudo, exinde patet, quod ad Sundam Daniæ fretum hodieque Helsenburg & Helsinora veteres Helsingici regni reliquiæ extent, ut à Scania usque in Porniam, Lappiam ac Scrick-Finniam extensæ fuerint. Tandem à regibus Sueciæ destructum fuit, ac in provinciæ formam redactum. Nulla præterea ejus memoria superest.

PERIODUS SECUNDA.

CANON I.

Tria Regna Septentrionalia denuo conjuncta.

1. *Olavus* Daniæ Rex A. C. 1380. defuncto

functo *Haquino*, Norwegiæ quoque Rex factus fuit, à quo tempore duo hęc regna Dania & Norwegia perpetuo conjuncta manserunt. Et successit Margareta mater, Semiramis Danorum, quæ *Albertum Megalopolitanum* Sueciæ Regem A. 1389. prelio victum cepit, ac regnum ejurare coëgit. Ipsa trium regnorum, quod intra aliquot secula factum non fuerat Regina omni modo laborare, ut perpetua hęc & stabilis ad posteritatem trium potentissimorum regnorum conjunctio maneret. In eam rem convocati trium regnorum Ordines perpetuum inter se fedus ac unionem sub uno Rege pepigerunt A. 1395. Præcipua federis conditio hæc erat, ut in creando novo Rege Dania ac Suecia alternis vocibus primum suffragium haberent. Margarethæ successit Ericus Pomeraniæ Dux, huic Christophorus Comes Palatinus.

2. Defuncto Christophoro ortum inter Suecos ac Danos de creando Rege dissidium fuit, cujus causa generalis naturale illud inter utramque nationem odium fuit, Singularis, quod Dani in electione Christophori primum suffragium contra pacta Calmariensia usurpassent. Ergo Sueci peculiarem sibi Regem *Carolum Canuti* filium A. 1448. Dani vero & Norwegi *Christianum* I. Comitem Oldenburgensem elegerunt. Hoc dissidium

no-

novem continuos annos duravit. Cum vero *Carolus Canutus*, deserto regno Sueciæ, clam cum thesauris suis Dantiscum aufugisset, *Christianus* I. etiam à Suecis Anno 1457. Rex susceptus ac coronatus fuit.

3. A. 1459. Ducatus Sleswicensis cum Holsatia ad Reges Daniæ pervenit. Cum enim *Adolphus* Dux Sleswicensis & Comes Holsatiæ absque prole obiisset, *Christianus* I. Rex Daniæ, quod sorore ejus Heilwiga natus esset, ei in ditionibus illis successit, magis vi quam jure. Nam propior hæres erat *Adolphus* X. Comes Shauenburgensis, quem Christianus datis 43000. florenorum, & tribus in Holsatia præfecturis à prætensione removit, Nihilominus Comites Schauenburgenses aliquoties Regibus Daniæ quæstionem moverunt, & *Ferd.* II. Imperator illis investiturã Holsatiæ dedit, quæ etiam non minima belli inter ipsum ac *Christian.* IV. causa fuit.

4. A. 1469. Sueci denuo cœperunt tumultuari conquerentes *Christiannm* I. pactis conventis non stetisse. Revocatus ergo ab exilio ad regnum fuit *Carolus Canutus*, eique A. 1470. mortuo successit *Steno Stur* non quidem Regis, sed Gubernatoris titulo. Hoc mortuo A. 1497. Johannes Rex Daniæ *Christiani* I. filius iterum tria regna Septentrionalia conjunxit, quæ tamen unio

non

non nisi sexennium duravit, semper reperientibus novas querelarum causas Suecis. Igitur A. 1503. denuo sibi gubernatorem creaverunt Virum Nobilem *Swantonem*, cui A. 1513. successit Steno Stur Junior, ac perpetua inter Danos ac Suecos bella fuerunt: donec A. 1520. cæso in pugna Stenone *Christiernus* II. Sueciam subjugaret.

PERIODUS. TERTIA.

I. *Dania & Norwegia ac Swecia iterum dividi cœperunt.*

ANno 1523. Causa fuit immanis barbaries *Christierni* II. qui quosvis veteres Tyrannos immanitate sua superavit, ac horrenda laniena Stockholmiæ edita, proceres ipsos perfide ac tyrannice obtruncavit, quorum facinorum auctor jactabatur venefica quædam vetula, cui nomen Sibricht, quæ regis animum incantamentis occupasse creditur. Cumque non mitius in Dania regnaret *Christiernus*, tandem utriusque regni incolæ justis furiis in Tyrannum insurrexerunt, eumque omnibus exutum regnis perpetuo carceri manciparunt, in quo post 36. annorum miseram captivitatem A. 1559. animam exhalavit.

II. *Da-*

II.

)ania & Norwegia reges sibi ex Holsatiæ Ducibus crearunt.

Ejecto *Christierno* II. *Fredericus* I. Dux olsatiæ, creatus fuit Daniæ & Norwegiæ ex, qui reuunciare omni suo in Sueciam ri, ac fedus cum Erico Suecorum Rege ntra Christiernum Tyrannum ejusque denfores inire cœpit. Eo mortuo A. 1537. agnæ inter Danos exortæ de novo Rege eando controversiæ cœperunt, qua usus casione Christiernus captivus per emissaos suos auxilia cogere, ac ipsam Hafniam gni caput in sua etiamnum captivi verba igere. Contra ejus factionem electus *Chriernus* III. *Friderici* I. filius regnum brevi cavit, & ad posteros *Fridericum* II. *Chrianum* IV. *Fridericum* III. qui hodie reiat, transmisit.

III.

lpud Suecos Trollorum familia regnare cœpit.

Inter alios obsides, quos *Christiernus* II. Suecia abduxerat, fuit quoque *Gustavus ricsonius* ex nobili Trollorum familia, qui gemiscens patriæ suæ calamitatibus ex Daa inter venandum habitu piscatorio assum-

ſumpto Lubecam clam evaſit, & ab illis ir Sueciam clam traductus *Dalecarlios* mon-tanam & aſperrimam gentem ad arma con-tra Chriſtiernum concitavit, atque ita po-pularibus ſuis vexilium ad libertatem oſten-dit. Cumque magna Sueciæ parte expuliſſe Danos, communi Ordinum ſuffragio Re: creatus fuit: Princeps prudentiſſimus & for tiſſimus, qui prima Suecicæ potentiæ funda-menta jecit. Cumque videret illam creand reges libertatem paci publicæ noxiam eſſe ab Ordinibus impetravit, ut Suecia ex ele-ctivo regno fieret hereditarium. Ei ſucceſſi Ericus qui graviſſimum per 8. annos cun *Friderico* II. Rege Daniæ bellum geſſit, a tandem propter tyrannidem regno ſpoliatu & in carcerem conjectus miſere obiit. Poſ hunc regnavit *Ioh*. III. qui Livoniam Ruſ ſorum tyrannidi ereptam regno ſuo adjecit ac Suecicum Imperium late per Finlandiam Ruſſiam, Ingriam ac Livoniam protulit. E jus filius Sigiſmundus A. 1587. creatus fui Poloniæ Rex, ſed hac conditione, ut Livo niam regno Poloniæ in perpetuum unire Hic A. 1593. Patri in Suecia quoque ſucce ſit Sed quod eſſet Pontificius ac Jeſuitas cun religione R. Catholica in Sueciam introdu ceret, denique vim ac arma abnuentibus ir ferret, opponere ſe illi patruus *Carolus* cœ

pit

it, cujus flagrans apud Suecos gratia & au-
horitas erat. Hinc acres secutæ inter Sue-
os & Polonos controversiæ, quæ mox in
rave ac diuturnum bellum eruperunt. *Ca-
olus Sudermanniæ* Dux primum Sueciæ
ubernator, ac tandem A. 1601. Rex electus
uit, & imperium Sigismundo abrogatum.
Iic *Carolus* hujus nominis IX. perpetua
ontra Russos, Polonos & Danos bella gessit,
c suam gentem armorum quotidiano exer-
itio ad bellum hocce Germanicum quasi
ræparavit. Causa belli Danici erat, quod *Ca-
olus* in universam Lapponiam sibi arroga-
et jus, ac à matitimis Vimmarchis tributa
xigeret, tum quod uteretur titulo Regis Van-
alorum. *Carolo* successit *Gustavus Adolphus*
A. 1611. omnium, quos unquam Suecia ha-
uit. Regum maximus ac victoriosissimus,
qui contemptam hactenus Suecorum fortu-
am ad summam incredibili successu ampli-
udinem extulit. Ei in prælio cæso A. 1632.
ilia Christina suffecta fuit, quæ post difficil-
imum bellum, parta spe pacis tota in regno
uo exornando versatur, ac frigidum illum
Septentrionis angulum ita illustrat, ut cum
ultissimis imposterum certare possit.

FINIS TRIUM REGNORUM
SEPTENTRIONALIUM.

RUSSIA.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Imperium Russiæ condiderunt Waregi.

ANno C.753. Per Waregos Russi intelliguntur quicquid nationum mari Balthico adjacet, Finnos, Suecos, Livos, Russos, Vandalos. Ex his nationibus delati in Russiam tres fratres Ruricus Novogardiam, Scineus Biale-Gosioro, Truborus Plescoviam tres celebres Ducatus condidere. Extinctis absque prole Scineo & Truboro solus Ruricus Russiæ Monarcha factus fuit, conditor familiæ ducum, quam Bealam vocant, unde *Fletcherus Elizabethæ* Angliæ Reginæ Legatus conjecit Ruricum ex Hungaria ortum, ubi Belæ nomen frequens. Absurde. Rurico successit Ihor filius sive Jehor, quem Cedrenus & alii Græcorum historici vocant Inger Regem Russorum, quo intra juventam defuncto mater ejus Olha seu Helena principatum suscepit, Russorum Semiramis. Post Olham regnavit Suatoslaus seu Stoslaus, Græcis Sphendostablus, qui domita Bulgaria imperium Russiæ usque ad Pontum Euxinum & Thraciam ostendit. Male Thuanus lib. 21. Histo-

iſtoriarum Sphendoſtablum hunc cum
urico confundit. Eo mortuo Ruſſia pro nu-
ero filiorum in tres diviſa Ducatus, Xio-
ienſem, Pazinacenſem, & Novogardien-
em. Solus fratribus ſuperſtes Vladimirus A.
76. Ruſſiæ iterum Monarcha factus, ducta
nna Baſilii Conſtantinopolitani Imperato-
s filia religionem Chriſtianam ſecundum
dem & ceremonias Græciæ in Ruſſiam in-
oduxit, A. 989. Ab eo tempore univerſa
uſſia Græcam religionem conſtanter reti-
uit, neque ullis artibus cum Latina ſiveRo-
ana Eccleſia conciliari potuit Hic Vladi-
irus urbem Vladimiriam exſtruxit, & in ea
dem imperii Ruſſici poſuit. Obiit A. 1005.
umque 12. reliquiſſet filios, Ruſſia in 12.
ucatus diviſa fuit, ex quibus præcipui No-
ogrodenſis, Roſtovienſis, & Wolodimirien-
s. Hæc diviſio duravit uſque ad A. 1033.
uo Jaroſlaus ſolus ſuperſtes univerſam Ruſ-
am iterum conjunxit. Sed A. 1052. iterum
5. partes diviſa fuit, Ducatum *Smolensko*,
ladimiriæ, Kioviæ, Czerniceioviæ & *Perea-*
aviæ. Ab eo tempore variis Ruſſia diviſio-
ibus ac diſſidiis dilacerata fuit.

II.

Divisa fuit in Russiam Albam & Russiam Nigram.

Duo præcipui Russiæ Ducatus fuerunt *Kiovia* & *Vladimiria*, quibus qui potiebantur illi veluti Monarchæ Russorum erant. *Kiovia* sedes erat Russiæ Nigræ, Vladimiria Russiæ albæ. Quæ ratio hujus appellationis sit certo tradi non potest. Baro Herbesteinius à vestimentis petitum nominis discrimen putat: sed ratio illa insufficiens: casu potius ita distinctos fuisse credimus, quemadmodum Turcis ac Orientalibus solemne. *Vladimirienses* Duces alio nomine appellatur Susdalienses à Susdal, in quam ex *Vladimiria* sedes regni translata.

PERIODUS SECUNDA.

I. *Russia Tataris subjecta.*

ANno 1224. & sequentibus Tatari ex Scythia in Russiam irruperunt duce *Batti*, qui universam potestati suæ subjecit, ac Russiæ Duces omnes in miseram servitutem redegit. Hæc Tatarica servitus usque ad tempora Basilii & A. C. 1500. per tria fere secula duravit. Imperatores Tatarorum Zavolhensium duces pro arbitrio Russis dabant,

ac

ac quanta ipſorum in Ruſſos dominatio fuerit, apud Herberſtenium, Petrum Petræum, & alios rerum Moſcoviticarum ſcriptores prolixe legi poteſt.

II.

Ruſſia Nigra Poloniæ acceſſit.

Circa A. 1300. Quippe tum capta à Polonis *Kiovia* & devaſtata fuit, neque ſe amplius erigere Ruſſia aut ad antiquam adſpirare potentiam potuit, donec ante biennium Duce *Chimilenski* antiquam ex parte recuperaret libertatem.

III.

Ruſſiæ albæ caput urbs Moſcovia facta fuit.

Circa A.C. 1325. Georgius ſedem imperii ex urbe Uladomiria in urbem Moſcoviam tranſtulit, à quo tempore Ruſſia etiam Moſcovia appellatur. Nihilominus Vladimiria in hunc uſque diem primum in Magni Ducis titulo locum obtinet, ſecundum demum Moſcovia.

IV.

Ruſſia Tatarorum jugo liberata.

Factum id à *Iohanne* Baſilide, qui cum reliquos Ruſſiæ Duces in ordinem redegiſ-

ſet, primus ſeſe Magnum Ducem appellavit, & Tataros Ruſſia feliciter expulit. Hic eſt ille *Iohannes* Baſilides, qui Ruſſicum Imperium ad tantam magnitudinem evexit, & Novogardiam A. 1477. expugnavit, cujus urbis quanta fuerit potentia ex antiquo proverbio patet, Quis poteſt contra Deum & magnam Novogardiam? Ejus ſucceſſor Baſilius, qui ab Imperatore Tatarorum Precopenſium *Mendlikirei* A. 1515. victus & tributarius factus eſt. A. 1518. provincias glaciali Oceano vicinas Betſoram, Papinam, Samagediam, Ugrojam, Obdoram & Condoram ſubegit, ac Moſcoviticum Imperium uſque ad flumen Obi ac Novam Zemblam extendit. Sub eo Ducatus quoque *Smolensko* & *Pleskovia* acceſſit. Quo rerum ſucceſſu inflatus Baſilius *Tzarum* ſeu Imperatorem ſeſe appellavit. Extat apud Herberſtenium prolixa de titulis Principum Ruſſiæ diſſertatio, ubi negat Magnum Moſcoviæ Ducem recte apellari poſſe Regem. Id certum Ruſſos non ſemper eodem uti titulo. Nam in legationibus ad Polonos non niſi magnum ducem ſeſe vocat. Quoties vero cùm Imperatore & Pontifice Romano, Turca, Regibus Sueciæ ac Daniæ, Tzar, i. e. Regem & Imperatorem ſeſe vocat. Sub ejus filio *Ioh. Baſilido* II. duo regna Tatarica Caſan & Aſtracan acceſſere, ac Im-

pe-

perium Moſcoviticum uſque ad mare Caſpium & Perſiæ fines prolatum fuit. Et hoc ſummum Ruſſiæ incrementum. *Ioh.* Baſilides omnium Tyrannorum immaniſſimus fuit, de cujus vita ac moribus ſcripti commentarii omnem pene fidem ſuperant. Ei ſucceſſit A. 1484. *Theodorus* ſeu *Fedor Iaanowitz* ingenio ſocors, qui ſocium in imperio fecit Boriſium Fedrowitzium. Hujus Theodori opus eſt vallum illud ingentis longitudinis inter Tatariam Precopenſem & Ruſſiam, quod deſectis arborum truncis ſuperingeſta terra conſtat, ad prohibendas Tatarorum quotidianas invaſiones, quemadmodum pari conſilio Chinam muro à Tataria interſeptam novimus.

PERIODUS TERTIA.

I. *Novam Imperatorum Ruſſiæ familiam condidit Michael Fedrowitz.*

1. POſt exceſſum *Theodori Ruſsia* per integrum decennium inauditis jactata fuit tempeſtatibus, ac theatrum horrendarum miſeriarum fuit, cujus tragœdiæ quam luctuoſa continuatio tam levia initia & fœdi exitus fuerunt. Fuerat *Iohanni Baſilidi* filius alter nomine *Demetrius*, quem iracundus Pater, neſcio qua occaſione baculo percuſ-

ſum ſive interemerat, ſive relegaverat. Id ſatis conſtat *Demetrium* ante Patrem obiiſſe. Cum *Theodorus* negligentius adminiſtraret Ruſſiam, quam populi ingenium fert, atque inſuper careret legitima prole, Jeſuitæ in *Polonia* mirum exorſi ſunt facinus. Habebant illi in collegio quodam ſuo juvenem origine Ruſſum, cui nomen *Gregorius Strepius* ſive *Griſca Vtrepaja*. Hunc à prima juventute ad futuram tragœdiam egregie inſtruxerunt, ac præceptis imperii ita informarunt, ut totam Ruſſiam miſere deceperit. Quamprimum mors *Theodori* innoteſcebat, qui A. 1605. defunctus, Boriſio adfine Imperium invadente, ex privata ſchola progreſſus *Gregorius* Demetrii dudum defuncti nomen ac perſonam adſumere, ſeſe legitimum hæredem jactare, invaſorem Boriſium, atque apud mutabile vulgus plus fidei reperire, quam ipſi crediddiſſent fraudis architecti. Favebat præter Pontificem Romanum Rex Poloniæ *Sigiſmundus* non ignarus omnia hæc ſimulari: ſed tanti erat hoſtilem Ruſſiam quocunque modo turbari. Breviſſimo tempore Griſca Utrepaja tanquam genuinus Demetrius univerſæ Ruſſiæ Monarcha fit, nullo Ruſſorum quidquam mali ſuſpicante. Statim celebrantur nuptiæ inter ipſum & Palatini Sendomirienſis filiam, ac Poloni in Ruſſia paulo inſolen-

len-

lentius ſeſe gerere, quam exteros & hoſtes antiquos deceret. Ipſe Pſeudo-Demetrius quanquam ſatis appoſite perſonam ſuam gereret, tamen intra aliquot menſes manifeſtã præbuit ſuſpicionem non ex vero Ruſſiæ Ducum ſanguine ortum, qui tam alienus ab eorum moribus eſſet. Cur enim præferret ſuæ nationi Polonos? Cur in religione Græca exercenda negligentior eſſet? Sed hoc præcipuũ fraudis argumentum fuit, quod, cum omnes Ruſſi circa Meridiem ſomno indulgeant, omni aula & civitate altum ſtertente, ſolus Demetrius pervigil plateas obiverit. Haud diuturna interpoſita fuit mora: ſtatim conſpirarunt proceres Ruſſiæ, & adorti ex improviſo Polonos magnum eorum numerum una cum ipſo Pſeudo-Demetrio interfecerunt. Quo peracto facinore expoſita cæſorum corpora in publico urbis Moſcoviæ foro, & nuda, ultimiſque affecta contumeliis ab omnibus aſpiciebantur & contrectabantur, ut nequiſquam amplius dubitaret revera extinctum Demetrium ſive verum ſive falſum.

2. Cæſo Pſeudo-Demetrio Ruſſi An. 1606. Caſilium Ibanowitz Zuci magnum Ducem elegerunt. Mox in Occidentalibus Provinciis crebreſcere fama miraculo evaſiſſe Demetrium ac propediem in regnum reverſurum. Quippe eo ipſo tempore, quo

Moſcoviæ interficiebatur Demetrius, ſparſa late fama fuit, conſpiratum quidem à ſicariis in vitam ejus fuiſſe, ceterum per medios hoſtes elapſum in Polonia auxilii quærendi ergo verſari. Tam ſubtiliter hic dolus inſtructus fuit, ut quidam ludimagiſter oppidi Sogotiæ, cui nomen Joh. denuo aſſumeret perſonam jam ſecundum interfecti Demetrii, adjutus auxiliis Coſaccorum, Digna lectu ſunt, quę de eo tradit Petrus Petręus in Chronico rerum Moſcoviticarum.

3. Contra hunc Pſeudo Demetrium II. in Septentrionali Ruſſia tertius emerſit Demetrius, ſcriba quidem Moſcovita, qui ab Ipanogrodenſibus, Jamenſibus, Coporienſibus, & Meskovienſibus pro Magno Duce & vero Demetrio receptus fuit. Sed ejus imperium mox evanuit, ac ſuperſtes ipſi manſit Pſeudo-Demetrius Secundus. Interea Moſcovitæ ſenſerunt ſibi illudi à Pſeudo-Demetriis ac meros impoſtores eſſe qui illud nomen adſumerent. Igitur pertæſi motuum horum A. 1612. exterum Principem quærere cœperunt. Sed diviſis ſtudiis alii ex Polonia, alii ex Suecia. Quippe durantibus his in Moſcovia turbis ſpecie ferendorum auxiliorum Poloni ab Auſtro, Sueci à Septentrione Ruſſiam late vel vaſtarunt vel occuparunt, Sueci auxiliabantur Zuſcio: Poloni Demetrios, qui-
cun-

cunque essent, defendebant. A. 1610. *Iacobus de la Gardie* magnus exercituum Suecicorum Imperator, quod nulli unquam concessum, & ipse & centuriones ejus gladiis suis accincti magnum Ducem Zuscium viderunt & allocuti sunt. A. 1611. Poloni urbem Smolensko, Sueci urbem Novogardiam expugnarunt, ac eo tempore irritum fecerunt illud proverbium superbum & insolens. Quis potest contra Deum & magnam Novogardiam? Sex millia Suecorum ingentem urbem, in qua amplius 100000. Russorum aperta oppugnatione ceperunt. Igitur Russi Australes capto & in Poloniam misso Zuscio Magno Duce *Vladislaum Sigismundi* Poloniæ Regis filium nuper defunctum magnum Russiæ Ducem crearunt. Septentrionales vero *Carolum Philippum Gustavi Adolphi* Suecorum Regis fratrem. Uterque egregie deceptus fuit à Russis Poloni urbem Moscoviam A. 1612. funditus incendio & ferro everterunt, ac tum temporis inæstimabiles Russorum Principum thesauri ab antiquo congesti perierunt. Sueci Polonos iterum ex Moscovia ejecerunt: quo facto, cum Russi viderent sese non nisi prædam & ludibrium esse exterorum, ex propria iterum gente Imperatorem quæsiverunt, Primus hujus consilii & author & administer homo ex infima

plebe in urbe Pleskovienſi lanius fuit. Eo authore creatus Magnus Dux *Michael Fedrowitz* florens ætate ac virtutibus juvenis, qui ſtatim eundem lanium quæſtorem ſuum conſtituit. Huic ſeſe oppoſuit Pſeudo-Demetrii Secundi vidua, *Margaritha Gorgona*, quæ ducto Iwan Martinowitz Caruſci Coſaccorum Duce, Provincias Orientales Ruſſię Caſan, Aſtracan, Siberiam, Rezan, Colugiam & alias Provincias titulo regni pro filio ſuo adhuc impubere Pſeudo-Demetrio IV. occupavit. Duravit hoc regnum per biennium, donec tandem Demetrius IV. cum matre ſua & Patre captus & à Ruſſis interfectus fuit. Ita ſolus ſuperſtes Michael Fedrowitz primo omnium pacem cum Suecis ſancivit, à quibus ipſi reſtitutus fuit Magnus Ducatus Novogardię. Sueci omnem Livoniam, Ingriam, Careliam, & multas ad Mare Album Provincias in perpetuum retinuerunt.

4. Hic Michael Fedrowitz miſerrime adflictum Ruſſiæ imperium prudentia, moderatione animi, ac perpetua cum vicinis pace ita recreavit, ut nunquam felicior fuerit, quam ſub ipſo, Unam accepit eamque atrocem A. 1634. à Polonis calamitatem. Cum enim obſediſſet Smolensko, ingens ipſius centum millium exercitus à paucis Polonis ad turpiſſimam coactus fuit deditionem.

Nota

Nota historia est. Ab eo tempore armis plane abstinuit Michael, amator exterorum, & supra quam ejus gentis ingenia ferunt, summa humanitate excultus. Obiit A. 1645. 12. Julii, eique successit filius Alexius Michalowitz adhuc minorennis, sub quo horribilis iterum seditio Moscoviæ A. 1648. fuit.

Finis Rußiæ.

REGNUM POLONIÆ.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Polonia primo Duces habuit.

AB A. C. 550. Primus vel gentis vel Reipub. conditor perhibetur Lechus, quem cum fratre Zecho ex Croatia sive Illyrico profugum in Sarmatia Polonos condidisse ac à campestri regione, quam Pole appellant, Polonos appellasse. Id haud dubie fabulosum, quod ex Illyrico originem gentis deducunt, cum Sarmatæ sint, quorum ab omni hominum memoria in Scythia Europæa & Asiatica amplæ sedes. Id consensu traditur familiam Lechi in Polonia 150. annis principatum in Polonia tenuisse, cujus sedes erat Gnezna ipsius Lechi opus.

post

Post ejus excessum 12. primarii Viri, qui rem Polonam administrarent jure Aristocratico, electi, quos sua lingua Waiwodas Latine Palatinos appellant.

II.

Secundam familiam condidit Cracus.

A. C. 700. Hic structa Cracovia ad Vistulæ ripam, eo sedem regni ex Jezna transtulit. Variæ fabulæ de hoc Craco traduntur ab illis, qui originem ejus Romanam ex Gracchis esse volunt. Huic Lechus II. & Virago Venda successit, post quam iterum 12 Palatini, & quæ sequuntur satis incerta & multis fabulis involuta.

III.

Tertiæ familiæ author Piastus est.

A. 830. Poloni regnum detulerunt ad rusticum quendam, cui nomen Piastus, à quo certior Poloniæ historia incipit. Hujus familia diutissime regnavit usque A. 1386. Ex hac Miecislaus primus religionem Christianam in Poloniam introduxit, cujus successorem Boleslaum Chobrium *Ottho* III. Imperator Romanus Regem creavit, à quo tempore Polonia regnum fuit. Regius titulus iterum sub Boleslao Audace, qui sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem nefarie occiderat, ite-

erum amiſſus: quippe eorum temporum fuit ſuperſtitio, ut exiſtimarent neminem oſſe eſſe Regem abſque conſenſu Pontificis Romani: Cumque Polonia propter cæem Staniſlai excommunicata eſſet, abſtiuerunt à condendo Rege, & titulo Principum contenti fuerunt. Ita per 215. annos olonia principatus tantum fuit uſque ad remiſlum & A. C. 1295. Primus enim remiſlus poſt tam diuturnum interregnum Gueznæ regium diadema recepit, & ad ſuceſſores ſuos perpetua ſerie tranſmiſit.

IV.

Sileſia à regno Poloniæ defecit.

Cum inter *Wenceſlaum* Bohemię Regem & *Vladiſlaum* IV. cognomine Locticum graves exarſiſſent contentiones de regno Poloniæ, à nonnullis creatus fuit Rex Henricus Dux Glogovienſis in Sileſia. Cumque is ad regnum pervenire non poſſet, Sileſiam ſaltem à Polonia abalienare conatus fuit. Ita omnes Sileſiorum Ducatus, quorum 17. ſeſe in clientelam Johannis Regis Bohemiæ dediderunt, nec recipere Sileſiam Poloni ab eo tempore potuerunt, quæ hodieque regni Bohemici provincia cenſetur.

PE-

PERIODUS SECUNDA.

I.

Poloniæ Lithuania accessit.

A. 1386. Causa antecedens fuit deficiens Piasti in Casimiro Magno posteritas, quod factum A 1370. Ita regnum Poloniæ ad *Ludovicum* Regem Hungariæ sorore Casimiri genitum pervenit. Quo sine prole extincto *Sigismundus* Marchio Brandeburgensis successor quidem utriusque regni constitutus, sed ad neutrum pervenit propter animi superbiam ac insolentiam morum, nec Poloni tamen consentire poterant in Regem. Reliquerat *Ludovicus* Hungarus filiam *Hedwigim*, sed qui cum tali sponsa regno potiretur, discrepabant. Utriusque expectationem tertius procus inopinato sese ingerens, barbarus quidem & Dæmonum cultor, sed ingens potentiæ ac opum Jagello Lithuaniæ Magnus Dux intervertit Hic duabus conditionibus Hedwigis conjugio potitus fuit, Christianam amplectendo religionem, & Poloniæ Lithuaniam conjungendo.

II.

Lithuania Magnus Ducatus est.

Lithuaniæ nomen ante A. C. 1200. fere in-

incognitum & ipsa gens contempta vicinorum Russorum & Polonorum servitio pressa fuit, adeo ut propter inopiam nonnisi vilissimas res in tributum penderent. Primus A. 1252. Mendogus Vir militia clarus principatum gentis hujus oppressæ sumpsit, & felici armorum successu eam à vicinorum contumeliis vindicavit. Huic successerunt complures brevi omnes imperio, donec A. 1279. Vitenen miles obtruncato Domino suo Duce Lithuaniam occuparet. Huic A. 1300. successit Gediminus, qui fines Lithuaniæ longissime per Russiam protulit & à finibus Prussiæ usque ad Pontum Euxinum protendit, unde Magni Duces appellati. Hunc excepit A. 1325. Olgerdus, cujus filii fuerunt Jagello & Skirgello. Cum ergo Jagello major natu regno Poloniæ per matrimonium potitus fuisset, primo omnium Lithuaniam exterminato idolorum cultu fide Christiana imbuere cœpit, idque pro illorum temporum conditione satis prospere successit. Sed in conjungenda cum Polonia Lithuania major difficultas. Opponebant se enim illi Skirgello frater & Vidoldus patruelis. Denique frustra reluctanti extorserunt Lithuaniam, quæ suos retinuit magnos Duces usque ad A. C. 1501. quo demum tempore *Alexander* Lithuaniæ Dux creatus Rex Poloniæ unionem

tam

tam diu desideratam ad finem perduxit, à quo tempore idem & Poloniæ Rex & Lithuaniæ Dux censetur. Familia Jagellonis, qui in baptismo Vladislai nomen accepit, extincta fuit in *Sigismundo* Augusto A. 1576.

PERIODUS TERTIA.

CANON I.

Borussia & Livonia regno Poloniæ accesserunt.

1. IN expeditione, quam *Frid.* Barbarossa A. 1190. in Palæstinam suscepit, exortum fuisse sacrum quendam Ordinem, quem Teutonicum à patria, Hierosolymitanum à loco, Cruciferum ab insignibus appellarunt, notum est. Amissa terra sancta, cum hi Equites potentia & opibus plurimum valerent, à Conrado Duce Masoviæ contra Barbaros, Borussos, Lithuanos, Livonos & Russos evocati fuerunt hac conditione, ut quicquid Barbaris eriperent tanquam suum possiderent. Itaque A. 1226. in Borussiam Cruciferi venerunt ac intra 56. annos universa potiti sunt, sede quasi regia ab Ordinis Magistro Mariæburgi posita, tanto rerum successu, ut Ann. 1311. Dantiscum cum tota Pomerellia, denique Samogitia accederent, & Ordo 55. civitates 48.

arces,

rces, ac 19000. pagorum possiderent. Ex antis opibus ac potentia lapsi in superbiam suos tyrannice & avare opprimere, Principumque vicinorum odia in se concitare, præsertim Polonorum. Hinc civitates Borussiæ ab ipsis deficientes in *Casimiri* Regis Poloniæ clientelam sese tradiderunt, ac post grave bellum A. 1466. divisa Borussia in duas partes fuit, Superiorem ac Inferiorem, quarum illa Regis Poloniæ, hæc Cruciferorum, sed beneficio Regum Poloniæ. Moleste tulerunt Imperatores Germaniæ nobilissimam provinciam à suæ gentis hominibus ad exteros devolvi. Unde *Maximiliani* I. instinctu *Fridericus Saxoniæ* Dux & Ordinis Magister à Polonis defecit; sed frustratus auxiliis rem infectam deseruit. Ei successit *Albertus Marchio* Brandeburgensis, trigesimus quartus & ultimus Ordinis Magister, qui transactum cum Ordine videns, deposito Cruciferi habitu, A. 1525. à *Sigismundo* Poloniæ Rege Dux Prussiæ creatus fuit, & Academiam Regiomontanam fundavit. Cujus extincto filio *Alberto Friderico Iohannes Sigismundus* Marchio & Elector Brandeburgensis successit, & Ducatum illum tanquam feudum Polonicum ad Nepotem suum transmisit.

2. Ad Livoniam convertendam & contra

tra barbaros defendendam *Innocentius* III A. 1104. Ordinem Ensiferorum instituit qui paulo post à Druciferis in societatem recepti. Præcipua horum contra Russos bella fuerunt, à quibus fracti atque insuper intestinis dissidiis debilitati Polonos respicere cœperunt, in quorum potestatem *Godhardus Ketlerus* ultimus ordinis Ensiferorum Magister A. 1561. pervenit, à Sigismundo Augusto Dux Curlandiæ & Semi-Galliæ creatus, in qua dignatione posteritas ejus hodieque durat.

PERIODUS QUARTA.

CANON I.

Extinctis Jagellonidis regnum Poloniæ Exteros Reges habere cœpit.

1. CUm Jagellonis posteritas per 186 annos regnasset, tandem in *Sigismundo Augusto* A. 1571. extincta fuit. Poloni post biennii interregnum *Henricum* Ducem Andegavensem *Caroli* IX. Regis Galliæ fratrem elegerunt. Qui cum regios reditus nimiis largitionibus vehementer attenuasset, intellecta fratris sui morte & pertæsus morum Polonicorum cum nonnisi tres menses ac dies 26. regnasset, furtim aufugit, ac inscis omnibus in Galliam evasit. Poloni ea contumelia irritati evocare ipsum, cumque non

n compareret, regnum ipſi abrogare, & empublicam ſuam ad interregnum revore. Poſt biennii novum interregnum divi- Polonorum ſtudiis, aliqui *Maximilianum* iperatorem, plures *Stephanum Bathorium* ans-Sylvaniæ Principem ad regnum evorunt. *Maximiliano* favebant Dantiſcani; de à *Stephano* arcte obſeſſi, ſed irrito cou. Magnas deinde res contra Ruſſos in Linia & Lithuania *Stephanus* geſſit, & vix nilem Poloni regem habuerunt. Sed undeno regni anno abſque prole extinctus Poiam in novum interregnum conjecit, in o iterum diſcordes Proceres alii *Maximinum Auſtriacum*, alii *Sigiſmundum Ioh.* ;Suecorum Regis ex *Sigiſmundi Auguſti* ore filium deſignarunt, qui ſuccederet. *ximilianus* à *Zamoſcio* regni Poloniæ ncellario in Sileſia captus regno renunciacoactus fuit, quod in poteſtate *Sigiſmundi* manſit.

II.

loniaSueciæ conjuncta, mox avulſa.

Conjunctio A. 1593. mortuo *Iohan-* III. Rege Sueciæ ac Patre *Sigiſmundi* ta fuit. Mox ortæ inter Suecos & Polos controverſiæ, quibus occaſionem derunt Jeſuitæ ſeſe contra juramentum à *Siſmundo* præſtitum in Sueciam prætextu reli-

religionis R. Catholicæ intrudentes. Accesserunt alia irritamenta. Quippe pravo consilio seductus *Sigismundus* peregrinos milites Sueciȩ cervicibus imponebat, & partem Livoniȩ à patrio regno ad Polonos transferre conabatur. Hinc conquesti Ordines Sueciæ violata ab illo juramenta & pacta, gubernatorem crearunt *Carolum Ducem Sudermanniæ* patruum *Sigismundi*. Cum indies novis injuriis exacerbarentur animi, tandem *Sigismundo* regnum publice abrogatum, illudque in *Carolum* hactenus gubernatorem translatum A. 1599. qui etiam A. 1607. Sueciæ Rex coronatus fuit. Hac occasione diuturna illa inter Polonos ac Suecos exorta fuerunt bella, quæ nondum pace, sed induciis tantum ad tempus composita sunt.

III.

Polonia ingenti motu concussa.

A. 1647. Causa antecedens obitus Uladislai Regis: proxima duplex, Jesuitæ Russis templa sua eripientes ac liberum religionis exercitium impedientes: tum nobilium in rusticos tyrannis, quos instar vilissimorum mancipiorum immaniter tractabant, & pro lubitu tanquam bestias obtruncabant. Hinc velut in furorem acti per Russiam & Lithuaniam contra Dominos insurgere, Jesuitas

iitasaliosque sacrificulos ingenti numero
nterficere, Cosaccos & Tataros in Polo-
iam & ad prædæ societatem evocare. Hæc
nala incrementum sumpserunt ex propriis
olonorum diffidiis, qui, quod plerumque
1 interregnis fieri solet, de Rege creando
isceptantes communem interea hostem re-
ellere vel noluerunt vel non potuerunt. Me-
iebat tota Europa, ne illa Tatarica barba-
es usque ad mare Balthicum omnem Polo-
iam raperet: atque ita neglecto agrorum
iltu generalis Occidenti fames, quam haud
viter Provinciæ jam sentiebant, inducere-
ir. Post longas contentiones creatus tan-
um Rex Uladislai frater *Ioh. Casimirus*,
ui segnibus ad bellum gerendum Polonis
1 Russia à Cosaccis circumventus eas con-
tiones pacis accepit, quas præsens neces-
tas & suprema Reipublicæ lex salus populi
adebant, Sic utcunque hodie Polonia re-
irat, ita cessante bello, ut nondum ta-
ien pax sit.

Finis Poloniæ.

TUR-

TURCIA.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Turci Persia potiti.

1. Turcæ gens paſtoritia primas ſedes habuerunt in Scythia ad fluvium Jaxartem ſupra Perſiam. Ex illa regione, quæ in hunc diem Turkeſtan appellatur, circa A. 1000. in Perſiam emigrarunt Duce Selghuko, cujus poſteri Selghucidæ dicti.

2. Ad regnum Perſiæ hac occaſione pervenerunt. Cum Mahmudes Rex Perſiæ & Indiæ *Michaëlem* filium Selghuk Ducem Turcarum captivum abduxiſſet, ex Mawaranachar omnes Turcæ eum inſecuti in planicie Choraſan conſederunt. Quod cũ diſpliceret Mahmudo, filius ejus Maſud ſucceſſor regni Turcas bello laceſſere cæpit, qui irritati A. 1038, *Togrul-Bekum* filium *Michaëlis* Regem crearunt, & occiſo Maſudo tota Perſia potiti ſunt. Hæc prima Turcici regni origo à ſcriptoribus Græcis & Latinis monſtroſis fabulis involvitur: & quidquid ab hac narratione diſcordat, falſum eſt.

II. *Re-*

II.

Regnum Turcarum divisum in Occidentale & Orientale.

Causa fuit discordia inter Patrueles vel ratrueles *Togrul-Beki.* Ex quibus, incerum qua cognatione,ortus Cuthlumuses traitur occupasse Armeniam, Cappadociam, Pontum, aliasque imperii Græci provincias egio titulo: Id factum oportet circa Annum 060. vel 70. Nam Græci tam confuse hæc arrant, ut nihil certi de eo statui possit: Et uæ Leonclavius de hac re habet, omnia uoque vel incerta vel falsa sunt.

III.

Occidentalis Turcia à Christianis destructa fuit.

A. 1098. in Expeditione pro recuperanda Terra Sancta sub Godefrido Bullioneo, le qua supra. Tum temporis Turcarum Occidentalium Imperator fuit Solymannus, incertum filius an nepos Cuthlumusis. Regia ejus Nicea Bithyniæ Metropolis: qua àChristianis capta Solymannus universo regno exutus in Persiam profugit.

IV.

Orientalem destruxerunt Tatari.

Post Togrul Bekum in Persia regnarunt Muhammed, Olbarselan Græcis Axan, Melickschah, Mahmud, Barkiamk Latinis corrupte Belgiarok, Muhammed & Mahmud Abulkasem. Sub hoc destructum fuisse traditur regnum Turcarum in Persia partim intestinis dissidiis, partim conspiratione vicinorum. Vera totius rei narratio nondum constat & meræ tenebræ apud scriptores earum rerum reperiuntur. Id certum nullam TurcarumRegum mentionem inPersia post hunc Mahmudum fieri. Et quantum in re obscura conjicere licet, Chorasmii Persia interea potiti, quos Schinguiskan primus Tatarici Imperii conditor circa A. 1224. penitus evertit.

PERIODUS SECUNDA.

I. *Turcæ in Asia Minore regnarunt.*

Cum Turcæ in Persia partim à Chorasmiis, partim à Tataris everterentur, multi eorum in Asiam Minorem profugerunt: & cum latrocinando opes sibi ac potentiam aliquam acquisivissent, collapsum in Asia Minore Turcarum imperium instaura-

ra-

arunt, Id factum fuisse ab *Aladino* ex po-
teritate Selghuki, tradit Leonclavius. Sed
t hic densę tenebrę, ac ne ipsi quidem Tur-
ę in tanta imperiorum temporumque con-
usione suæ originis & successionis rationem
eddere possunt. Id certum est post Solyman-
um in Cappadocia & vicinis provinciis re-
gnasse ipsius sive filios, sive cognatos, quo-
um frequens mentio fit in expeditionibus
Christianorum in Palæstinam. Sed hos pro
er's Regibus à Turcis non agnosci tradit
Leonclavius, qui initium regni Turciæ Oc-
identalis, quod à regia appellatur regnum
Guniæ seu Iconii, facit à Keikosroë. Sed cum
æc omnia tam sint incerta & confusa, quid
efert aliorum errores diu recensere. Vera
eries Imperatorum Turciæ, qui sedem ha-
buerunt Guniæ, hęc est: A. 1191. Rucradin:
A. 1200. Asadin 1204. Jathatin. 1212 A-
adin, 1219. Aladin Chibabeth. 1239. Gaith
Eddin, 1260. Caikubad, seu Raikonadius,
1270. Aladin, 1299. Saheb ultimus. Hoc
egnum Turcarum circa A. 1240. & 1260.
ehementer à Tataris ex Persia erumpenti-
bus debilitatum, ac tantum non eversum
uit: Quod utcunque recollegit ac vindica-
vit Aladin sive secundus sive tertius, in quo A.
1298. extincta fuit posteritas Selghuki, quæ
hactenus in Persia & Asia Minore regnavit.

PERIODUS TERTIA.

I. *Turcæ vastissimum Imperium erexerunt.*

Conditor ejus fuit *Osman* filius Ertho-Grul natione Turca, cujus majores ex Persia in Asiam Tataris expulsi apud Sultanos Guniæ tantam obtinuerunt gratiam, ut spem conciperent imperii consequendi. Cum ergo Aladinus A. 1298. sine liberis obiisset, Turcarum Proceres universum imperium inter se diviserunt, unde nata sunt Novem Regna Turcica. Præcipua tamen authoritas & potentia fuit penes Osmanem, cui Bithinia obvenerat. Sedes regni ejus Bursia Bithiniæ urbs ad Montem Olympum. Inter hos Turcarum Reges perpetua fuerunt bella, donec oppressus minoribus tres tantum remanerent potentiores, Osmaniæ, Caramaniæ & Dulgadiriæ. Inter hos diu certatum, & præcipuæ implacabiles Osmaniorum hostes erant Caramanni. Hi quoque ab Osmanidis eversi: atque ita omnis potestas Turcarum ad eos in solidum translata.

II.

Pervenerunt in Europam.

A. 1363. sub tertio Imperatore Morad sive

ive Amurad. Causa præcipua fuerunt perfidi x avari Genuenses, qui cum possiderent urbem Peram seu Galatam è regione Constaninopolis, una nocte aliquot millia Turcarum, accepto in singula capita pretio in Europam trajecerunt, à quibus mox Adrianopolis capta, & eo sedes regia translata fuit.

III.

Fracti à Timuro.

Timur vulgo *Tamerlanes* Tatarum potentissimus Imperator victo ad montem Stellam in Galacia Abujesid, seu Bajazeth Gilderum Imperatore Turcarum quarto universum regnum Turcicum Asiaticum in potestatem suam redegit A. 1401. Eo tempore plane actum videbatur de regno Turcico, in carcre apud Timurum extincto Bajazethe, & filiis ejus insuper discordibus. Ac nisi fatalis quædam socordia tum temporis occupasset Græcos, recuperare non modo Adrianopolin, sed universam Asiam potuissent. Nihilominus ita volentibus fatis ex illo difficultatum mari emerserunt Turcæ, ac sub Muhammede primo, Morado secundo & Muhammede secundo imperium Turcicum quam latissime per Asiam & Europam propagarunt.

IV.

Potiti Imperio Orientis.

A. 1453. 29. Maji Constantinopolis à *Muhammede* II. Imperatore Turcarum expugnata, atque occiso Constantino XV. Palęologo Imperium Græcum penitus eversum & ad Turcas translatum fuit, qui ab eo tempore suam regiam Constantinopoli fixerunt. Incredibile dictu, quantum terrarum sub *Mahammede* II. Turcæ occuparint, nimirum tria Imperia, 4. regna, Provincias 20. & 200. Urbes.

V.

Everterunt Kircassios, Mamaluccos in Ægypto.

Ægyptus à Caliphis pervenit ad Turcomannos, sub Saladino, ut supra dictum. Turcomanni emptos à Tataris ex Mengrelia, Gurgestan, & Kirkasia Christianorum pueros armis eruditos custodiæ corporis sui ac defensioni regni præfecerunt titulo Mamalukorum. Mamaluk idem est, quod Mancipium regium. Hi Mamaluki cum viderent Turcomannos otio & voluptatibus enervatos consilium ceperunt regni ad sese transferendi: Idque feliciter factum A. 1382. 26. Nov. Tum enim Kircassi seu Mamaluki primum

ex

ex sua gente crearunt Regem nomine Berkukum. Atque ita longa serie perpetuo ex Mamalukis Reges Ægypti creati, quorum vicesimus primus nomine Canso vulgo Campson Gaureus in prælio contra *Selimum* I. Turcarum Imperatorem A. 1516. in Syria occubuit. Huic successit Thomambajus, qui ab eodem Selimo A. 1517. in Ægypto victus, captus, ac 4. Aprilis miserabiliter in porta Urbis Alcahiræ occisus fuit. Ita extinctis Kirkassis seu Mamalukis Ægyptus, Arabia, Palæstina ac Syria Turcis accesserunt.

VI.

Hungariam invaserunt.

Causa fuit interitus *Ludovici* Regis Hungariæ, qui A. 1526. ad Oppidum Mohazium a Copiis Solymanni Turcarum Imperatoris cum omni exercitu obtruncatus fuit 29. Aug. Hinc diffidium: & de regno contendebant Joh. Waiwoda Trans Sylvaniæ ac Ferdinandus Archi-Dux Austriæ. Ille Turcam, hic fratrem *Carolum* V. auxilio advocarunt. Solymannus omnium Turcarum Imperatorum potentissimus & bellicosissimus prætextu defendendi *Iohannis* longe maximam partem Hungariæ occupavit tanto cum fastu, ut universa Europa trepidaverit. Et quasi imitaturus Proavum suum *Muhammedem*

II. qui capta Constantinopoli universum Orientem subegerat, Viennam Austriæ ac Imperii Metropelim A. 1529. 26. Septembris cum trecentis millibus obsedit. Qua expugnata haud dubie totius Germaniæ prædam affectasset Defendit eam pro Cæsare *Philippus* Comes Palatinus. Nulla similis legitur obsidio, quæ exacte describitur in singulos dies à Sebastiano Franck in Chronico suo. Amissis in obsidione octoginta hominum millibus Turca obsidionem solvit 15. Oct. ac universam Europam terrore suo liberavit. Nihilominus hoc bellum Hungaricum tota Solymanni vita duravit per 40. continuos annos, & potest is alter Turcarum Saladinus appellari, ac Christianorum flagellum. Obiit in obsidione Zigethi A. 1566.

VII.

Occuparunt Africam & Cyprum.

Cum *Carolus* V. ejusque filius *Philippus* regnum Tunetanum aliquoties occupassent, tandem *Selimus* II. A. 1574. universam Africam, i. e. regnum Tnnetanum, Tripolitanum, Algieranum & Thremisenum usque ad fines Fezz & Marocco occupavit, & hactenus ejus successores quiete retinent. Idem Selimus A. 1570. Cyprum Venetorum In-

Insulam oppugnare cœpit, ac intra biennium expugnavit.

VIII.

Imperium Turcarum declinat.

Quemadmodum omnes res naturales suis terminantur finibus, ita indomitam quoque Turcarum potentiam divina providentia duobus fluminibus Danubio & Euphrate terminavit: intra quæ veluti fatales limites hactenus sese continuerunt. Conatus quidem fuit *Amurathes* III. extendere limites in ipsam Persiam, & ab A.C. 1580 usque ad nostra tempora pervicacissimo bello Persas aggressi fuerunt majori semper cum damno quam emolumento. Primum argumentum declinantis Turcarum potentiæ fuit, quod Hungariam Germaniamque intactas relinquerent, quas ne quidem tribulentissimis temporibus & externo hoste urgente aggredi audent. Igitur ab A.C. 1600. Turcarum arma vel hebetata vel contra Polonos, Tataros, Persas ac Afros exercita exiguo cum fructu. Alterum argumentum præbuerunt tumultus Janizarorum, quorum eousque erupit audacia, ut A. 1622. 12. Maji Imperatorem suum Osmanem secundum, Juvenem improvidum & infelicem publice velut vile aliquod mancipium strangularint. Quam Tyrannidem

ante biennium A. 1648. in Ibrahimo eadem licentia iterarunt. Ex quo patet collapſa Imperatorum apud Turcas poteſtate, omnem poteſtatem in milite ſitam eſſe. Ut ſe à ſocordiæ infamia vindicarent Turcæ ante aliquot annos Candiam Venetorum Inſulam aggreſſi ſunt, tam infelici cum ſucceſſu, ut ſola illa Reſp. Totius Imperii Turcici vim non ſuſtinuerit modo, verum etiam infrenerit. Hodie Turcis præeſt *Muhammed* IV. puer duodecennis, ſub quo magnam Imperii Turcici vel in melius vel in deterius converſionem ſeu metuimus ſeu ſperamus.

REGNUM PERSIÆ.

PERIODUS PRIMA.

Regnum Perſiæ filii Bojæ inſtaurarunt.

ANno 932. Cum Caliphæ Saracenorum Perſiæ regno diu potiti fuiſſent, tandem decreſcente indies eorum authoritate *Sultani* per provincias paſſim rebellare ac propria regna condere cœperunt, ita ut omni fere poteſtate ſpoliati Caliphæ ſolam antiqui nominis majeſtatem retinerent. Inter præcipuos autem, qui regnum Perſiæ invaſerunt, fuerunt filii Bojæ, qui genus ducebant ex priſcis Perſarum regibus adeoque ab ipſo Dario Hyſtaſpis. Sed adeo ſub aliena domi-

ninatione decreverat hæc familia, ut *Bojas* propter ſummam paupertatem piſcatura familiam ſuam ſuſtentare cogeretur. Ejus tres filii Alis, Haſen & Achmed militiam à juventute ſequebantur, & in caſtris lixarum atque calonum inſtar ſerviebant. Inter eos præcipuus fuit Alis, qui collecta prædonum manu cum multa ſtrenue gereret, Martawigo Imperatori Aſſyriæ ſeſe ſocium adjunxit, & paulo poſt confirmatis jam viribus ab eo deficiens, Perſiam, Irakam, Kermonem aliaſque late provincias occupavit, eaſque cum fratribus ſuis diviſit, confirmatus in Novo Regno à Calipha Mukrafibilla. Ita Bojitæ per univerſam Perſiam ſummum acquiſiverunt imperium & Veterum Regum tot jam ſeculis interruptam proſapiam inſtaurarunt. Calipha Mucius Lilla Alin cognomine Amaduddaulam appellari juſſit Regem Regum. Ejus poſteri Perſiam varia fortuna per 127. annos obtinuerunt, quorum ultimus Melecram.

PERIODUS SECUNDA.

Bojitis ſucceſſerunt Turcæ.

ANno 1055. Primus Turcarum in Perſia Rex fuit Trogul-Bek, de quo in Turcia.

PERIODUS TERTIA.

I. *Post Turcas in Persia regnarunt Vatari.*

ANno 1224. Cum enim in Persia defecisset familia Togrul-Beki vicinæ gentes Chorasmii, Georgiani, Armenii, Arabes, Indi regnum illud in multas dilacerarunt partes, donec erumpens ex Scythia Schinguis-khan, pulsis Chorasmiis, universam occuparet Persiam. A. 1260. Ulakukan Paulo Veneto Allau Rex Persiæ factus, illud ad familiam suam transtulit, ex qua aliquot Reges Christianam fidem amplexi Turcas universa Syria & Palæstina expulerunt, de quo videatur Haito Armenus & alii Belli Sacri scriptores. Ultimus horum Regum fuit Abuzaid Baheder Chan, qui obiit Anno 1337.

II.

Tamerlanes Persiam recuperavit.

Post mortem Reges Abuzaid regnum Persiæ à proceribus dilaceratum in varia regna fuit, præfectis per provincias suas dominationem invadentibus. Inter hos potentissimus fuit, quem Europæi vocant Gempsam magnum Parthorum Sultanum : quod nomen, ut pleraque alia, corruptum est: & viden-

entur per eum intelligere, qui ab Arabibus ppellatur Scha Schasia, cujus obitus incidit n A. 1372. Ejus filii Persiam in 4. diviserunt egna Schirazi, Kirmanis, Iezdæ & Isphahaæ. Potentissimus autem inter hos fuit Scha-Mansur, quo superato Tamerlanes universam sibi subjecit Persiam.

PERIODUS QUARTA.
Tataros dejecerunt Turcomanni.

ANno 1406. Occasio fuit obitus Tamerlanis & filiorum ejus discordia ac segnicies. Tum ergo Turcomanni pastoritius Armeniæ populus extollere caput summamque rerum Persicarum ad se transferre. Erant autem Turcomannorum factiones duæ. Una Karakionlu seu Nigrorum Arietum altera Akionlu Arietum alborum. Ex Karakionlis primus Rex Persiæ fuit Kara-Issuph seu Niger *Iosephus*, qui Tamerlanis successorem evertit. Hanc familiam dejecerunt post 50. circiter annos Akojunli Persia potiti Anno 1468. Primus ex ipsis regnavit Ozun Azenbec Europæis Uzum Cassanus, Græcis Cazanes longus. Hic est ille tantopere decantatus Uzum Cassanes, cum quo Resp. Veneta solenne fedus contra Turcas pepigit. Ex Akojunlis octo ordine regnarunt, quorum ultimus fuit Sultan Morad.

PE-

PERIODUS QUINTA.

Hodie in Persia regnant Sophiani.

AB A. 1500. Conditor familiæ Sophianorum fuit quidam Scheeg Sophi, coætaneus Tamerlanis, sanctitatis opinione celebris, qui genus suum deducebat ab Hali Muhammedis genero. Ejus Nepos tempore Uzum-Cassanis fuit Haidar Princeps Urbis Ardevil in Media, quem res novas molientem Jakkubbus filius Uzum Cassanis in prælio interfecit, ejusque caput canibus devorandum objecit. Reliquerat is duos parvos filios, qui fugientes Tyrannidem Jakkubbi in Insula quadam Maris Capii delituerunt, ibi à sacerdote quodam clam educati. Ex his major natu Ismaël Sophi cum vix annos pubertatis attigisset, maximas res moliri ac paternæ necis ultionem suscipere cœpit Cumque factionem suam hinc inde per Persiam delitescentem clam de voluntate sua edocuisset, adjutus insuper intestinis regum Persarum dissidiis repente cum exercitu progressus sese appellare Regem, proscribere omnes, qui in prælio, in quo cæsus pater ejus Aidar fuerant: in Turcomannos ac familiam Uzum-Cassanis atrociter sævire, quorum etiam cadavera igne comburi, & dispergi ossa ac cineris jussit. Cum urbem Tabris cepisset, interfecti in

ea

omnes canes, quod caput Aidaris devorasſent. Gerebat is ſe pro ſucceſſore Ha'is,adeoque & Prophetam ſe & Regem eſſe jactitabat, condiditque Religionem Turcicæ infenſiſſimam. Quanquam enim utrique & Turci & Perſæ eundem Alcoranum pro norma religionis ſuæ habeant, tamen opinionibus ac ceremoniis immane quantum differant & ſeſe mutuo contemnant, ac pro peſſimis Hæreticis habeant. Hinc perpetua inter Oſmanides Turcas & Sophianos Perſas bella geruntur: Chriſtianorumque amicitiam tanquam contra communem hoſtem colunt Sophiani. Vocantur alio nomine Kiſil-Baſiceri i.e. Rubra Capita,quod Iſmael Sophi inſtituiſſet veluti ſectæ ſuæ proprium inſigne rubram tiaram, ex qua 12.faſces dependent. Ita breviſſimo tempore univerſaPerſia in poteſtatem Iſmaelis pervenit. Ei A. 1525. ſucceſſit filius Scha Thamas perpetuis Turcarum bellis exercitus Huic Aidar Anno 1575. qui decima quinta regni ſui die imperii ſucceſſorem habuit *Iſmaëlem* II. & ipſum brevis Imperii. His ſuffectus A.1577. Scha Muhammed Godabenda: ſub quo Turci Perſiam vehementer adflixerunt, occupata iterato urbe Tabris, quæ regum hactenus ſedes fuerat: Unde illa in Urbem Casbin ac tandem Hiſpahanam, ubi hodieque eſt, tranſlata. A.

1585.

1585. Emir Hemptza Mirza in Persia successit, qui octavo imperii sui mense manu tonsoris sui jussu procerum interfectus fuit: Et ita Scha-Abas, quo nullus post Ismaëlem Sophi-Major in Persia Rex Imperio admotus, Princeps & prudentia & humanitate & rerum gestarum magnitudine quibusvis comparandus. Cum eo Imperator *Rudolphus* A. 1600. fedus contra Turcas pepigit hoc uno infelix quod proprium filium tanquam affectati regni falso insimulatum interfecit Nec diu postea superstes fuit & ætate & animi dolore fractus. Utque aliquo modo luctui suo satisfaceret, Nepotem suum Scha Sephi hæredem ac successorem regni sui declaravit. Obiit A. 1629. Scha Sephi ex carcere ad regnum primo persuaderi non poterat mutatum in se avi sui animum & existimabat se ad necem duci, cum jam solio imponeretur. Hic Scha Sephi mox in crudelissimum Tyrannum degeneravit, Princeps vinolentus ac furiosus, qui perpetuo strictum in sinu suo acinacem habebat, quo proceres suos levi de causa obtruncabat. Turcas obsidione Urbis Bagdad primo feliciter depulit. Deinde tamen illam urbem amisit. In unius castelli Erzerum expugnatione 50000. hominum amisit cum præ furore stricto acinace ipse ad mœnia procurreret, nec aliter contineri posset;

ẽt, quam si Miles sine intermissione castel-
um oppugnaret. Obiit A. 1641. eique suc-
essit filius *Scha-Abas* II puer 13. annorum,
qui hodieque inter varias turbas regnat.

TATARIA.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Tatari universa Scythia potiti.

1. QUos Antiquitas Scythas, eos recen-
tior ætas Tataros appellavit, quod
nomen Antiqnius est, quam vulgo traditur.
Prima mentio Imperii Tatarici in A.C.400.
ncidit apud Emircontum scriptorem rerum
Persicarum. Regum commune nomen fuit
Hakon, unde Latini & Græci suos Chaganos
deduxerunt, quo nomine appellant omnes
eges Scytharum, Hunnorum, Avarum &
Turcarum.

2. De origine Tatarorum apud multos ea
nvaluit opinio, quod à decem tribubus Israe-
itarum, quæ ex captivitate sua nominatim
eversæ non leguntur, originem ducant:
quam opinionem multis argumentis propu-
gnat Postellus & Brerewoodus Anglus. Sed
evissimis nituntur argumentis, & multi pro-
ixe ostenderunt nihil falsius fingi posse.

3. In

3. In eo plures consentiunt Tataros tr
bum quandam siveHordamScytharum fui
se ita appellatam à fluvio Tater. Qua auter
ratione nomen illud unius tribus universa
Scytharum genti impositum fuerit, nem
exactius ostendit, quam Monachus Rubru
quisante 4. secula in Tatariam à Rege Ga
liæ missus. Quippe tradit Tataros, cum i
exercitu Mogolum seu Scytharum milita
rent perpetuo præmissos fuisse, & sparsa ac
ventus eorum fama, cum populus passim ir
clamaret Tataros adventare, nomen illu
paulatim universo exercitui mox toti gen
impositum: quæ opinio etiam hinc capit f
dem, quod ipsi Scythæ sese in hunc dier
non Tataros, sed Mogolos appellant.

4. Reges antiquorum Tatarorum à Pers
frequenter appellati Reges Chinæ sive Ha
kon Chini. Rationem reddit Texaira hanc
Quod Persæ omnes regiones Orientales ap
pellent Chini: unde cum Tatari ex Orient
adventarent, eos appellarent Chinas, und
etiam ipsius regni Chinensis postea ad nc
deflexit nomen.

II.

Imperium Presbyteri Iohannis appel latum.

1. Post aliquot secula iterum innotui
no

ıomen TatariæMagnæ,cujus meminit Zac-
:uth Judæus in Chronico ſuo ad A.C. 1000.
juſque reges appellat magnorum Tataro-
um Reges Chriſtianos.Fidem Chriſtianam
ı Tataria, India & China olim viguiſſe ſatis
:onſtat.Sequebantur autem errorem Neſto-
ianorum, quorum Patriarcha hodieque uſ-
jue in Chinam ſectæ ſuæ præeſt.

2, Europæi hos reges Tatarorum Neſto-
iano appellarunt Presbyteros *Iohannes*,quod
ıomen *Marcus Paulus* Venetus, cui omnem
llius tractus notitiam debemus, primus in
Europam ex Aſia reverſus tranſtulit. Ex eo
eliqui hauſerunt, ac innumera de illo Pres-
ɔytero *Iohanne* confinxerunt: præcipue *Io-
ɔannes Mandevil*. Ex hoc errore mirum eſt,
juot alii fluxerint.Quidam enim Imperium
Presbyteri *Iohannis* in media Africa, alii in
extrema Aſia collocabant. Sebaſtianus Mun-
ſterus in Comographia exiſtimat Paulum
Venetum non poſſe excuſari ab errore, quod
:ontra fidem recentiorum Imperium Pres-
ɔyteri *Iohannis* in Aſia collocet. Sed Vene-
:us omni culpa vacat, Quippe exertim tra-
dit non ſuam hanc ſed vulgi opinionem eſſe
ib. 1. c. 51, 64. lib. 2.cap.30. *Ioſephus* Sca-
iger nomen Presbyteri *Iohannis* deducebat
ı Perſica voce Preſte Chan, quam ſignifica-
e hominem Apoſtolicum ſeu Chriſtianum
exi-

existimabat, atque ut hanc opinionem de fenderet, in opere de emendatione tempo rum editionis primę absurdissime statuit, hc Tataros in Asia eosdem esse cum Abyssius ii Africa, ac pulsos in Africam ex India tra jecisse, ibique illud condidisse imperium quod hodie Abyssinum seu Presbyteri *Io hannis* appellamus. Hunc errorem in secun da editione melius edoctus correxit. Und autem fluxerit nomen illud Presbyter *Iohan nes*, alibi dicemus.

Periodus Secunda.

I. *Mogoles Tataria potiti.*

Anno C. 1187. Occasionem præbui *Iohannes* UnadCham seu Unkam, Re Magnæ Tatariæ Nestorianus, qui cum vi deret indies succrescere potentiam Mogo lum, qui Tatarica tribus erant, statuit ea passim per provincias distribuere, ut distra ctis viribus minus nocere possent. Quo consilium cum innotuisset Mogolibus di velli nolentibus ex Provincia Karokoran versus Septentrionem in campestria Barg migrarunt & tributum Uukamo negarunt Princeps eorum fuit Suko-Badur, cujus filiu Temukin in aula Uukami velut obses edu cabatur, ac proditionis apud Regem fals insi

ıſimulatus ad populares profugit, divina-
ue ſimulata vocatione ad imperium, Rex
reatus mutato nomine Schinguis Khan i. e.
Rex Regum appellatus fuit. Primus hic Ta-
arici Imperii, quod omnium toto orbe am-
liſſimum fuit, conditor habetur, & barba-
os Scythas hactenus inopem agentes in re
ecuaria vitam, legibus & diſciplina milita-
i inſtruxit. Præcipue id omnibus perſuaſit
uis ſucceſſorumque ſuorum mandatis, qua-
iacunque eſſent, cæca obedientia paren-
lum eſſe. Tulit multas alias conſtitutiones,
quæ Tatarica lingua Jaſak Schanguis Khan,
. e. Leges Regiæ appellantur teſte Haitone
Armeno cap. 17. Ita inſtructo exercitu
contra Unkam in Tendukanis campis præ-
ium commiſit, victumque majori parte di-
ionum ſpoliavit, non tamen penitus ever-
it. Schinguis Khan ex Tataria Perſiam ac
Indiam pervaſit, & uſque ad fluvium Ti-
grim ac Volgam cunctis potitus eſt regioni-
bus.

II.

Summus eorum Imperator Magnus Khan eſt.

Cum Schinguis Khan quatuor haberet
filios, ſingulis quidem aliquam partem di-
tionum ſuarum aſſignavit, primo genitum
vero

vero Magnum appellari Chanum regemque regum voluit, cujus imperio reliqui omnes fratres subessent. Ita Magni Chani fuerunt Octai seu Hokota, Gayu sive Gino Mango, Cublai seu Cobila, in cujus aula per 17. annos sese vixisse perhibet M. Paulus Venetus. Ultimus qui commemoratur est Timur, quem falso confundunt cum Tamerlane, sicut ex temporum ratione patet. Ab eo tempore nihil hactenus nobis innotuit de Magnis Tatariæ Chanis, quorum etiam destructum videtur Imperium.

III.

Regna Tatarica fuerunt vel Occidentalia, vel Orientalia, vel Septentrionalia.

Filio suo Tuksi Schinguis Khan omnes provincias Occidentales ad fluvium Volgam dedit, nim. Deschts, seu Tatariam desertam, Russiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, aliasque. Tuksi ante Patrem defuncto successit seu filius seu nepos Bathu, cujus per Hungariam, Poloniam, & Silesiam, quas regiones immaniter destruxit circa A. 1230. notissimum hodieque nomen est. De ejus successoribus varia traduntur, sed confusa & falsa.

IV. *Oc-*

IV.

)ccidentalis Tataria divisa in Regnum Zavolhense & Crimense sive Præcopense.

Circa A. 1400. Causa hujus divisionis iit Expeditio Tamerlanis in Tatariam Desiensem seu Occidentalem. Cum enim is ertisset Tuktamischum Imperatorem Tariæ desertæ, Crimenses seu Præcopenses 'atari peculiarem sibi creaverunt Regem, eque ab illo tempore subesse Zavolhensibus oluerunt.

V.

Crimenses Turcis subsunt.

Conditor Crimensis seu Præcopensis Imerii fuit familia Kireorum, ex qua oriunus Azi Kirai, Schicachmeth Zar, filium 'ick-Tamisch ex Taurica seu Crimeâ expu-t, seque contra eum Regem Tatarorum apellavit. Ab eo tempore Crimenses perpetuis xcursionibus Lithuaniam, Poloniam, Rusamque infestarunt. Anno 1584. Selymus 'urcarum Imperator eos sibi tributarios ac nperio obnoxios fecit, quod in hunc diem gnoscunt. A. 1648. cum Cosaccis regnum oloniæ gravissime adflixerunt, ac præda

aucti

aucti Præcopenſes nunc ſuum quoque Regem rebellione premunt.

VI.

Ex Zavolhenſi Imperio regna Caſan, Aſtracan, & Nagai originem ducunt.

1. Cum Crimenſibus Tataris ſucceſſiſſe rebellio contra Zavolhenſes, aliæ quoqu Hordæ defecerunt, & ſingulæ proprios ſib creaverant Reges. Caſanenſe Regnum nomen accepit ab oppido & fluvio Caſan, obſcurum quidem ſed late tamen patens Quippe ſub ea Mordwa, Keremiſſi, Nagorni & Logovi & Siberia. Hoc regnum Baſilius Magnus Dux Ruſſorum A. 1518. ſib tributarium fecit, dato illis Rege Scheale Mox ab eo ad Mendlikirajum Regem Præcopenſium defecerunt, qui illis impoſui fratrem ſuum Sap-Kiray Anno 1521. Se A. 1552. Joh. Baſilides hoc regnum recepi quod etiam hodieque Ruſſis ſubeſt.

2. Aſtracanenſe regnum denominatu ab urbe Aſtracan ſita ad oſtium Volgæ, qu ſe in Mare Caſpium exonerat. Ipſa auter Aſtracan à primo conditore hujus nomin denominata fuit. Reges ejus ſub tutela & tributo Crimenſium fuerunt. Anno 155 etiam hoc regno *Ioh.* Baſilides potitus, fru

ſtı

ra illud recuperare conantibus Turcis, qui on ſemel cum clade à Ruſſis repulſi.

3. Najagenſes circa A. 1440. hac occaſione exorti. Cum Imperator Zavolhenſium nterfeciſſet Okkah, virum quendam forem, ejus triginta, quos reliquerat, filii ſeceſſione facta juxta caſtrum Sarai defecerunt, & revi tempore adeo creverunt, ut hodie pro numeroſiſſima & maxima horda habeantur. Dividuntur autem in tres principatus Caſſuenſem, Schichmamajenſem, & Schidajenſem. Tandem ſubmiſerunt ſe quidē *Iohanni* Baſilidi Duci Ruſſorum, ſed abſque tributo.

4. Tot defectionibus debilitati Zavolhenſes, ita hodie diminuti ſunt, ut nec nomen quidem amplius ſuperſit.

VII.

Orientalis ſive Schagadajenſis complectitur regiones ad fluvium Oxum.

Schagadai tertius filiorum Schinguis Khan à Patre provincias Mawaranachar, Coraſmiæ, aliaſque accepit, quæ impoſterum ab ipſius nomine. Schagadai dicta. Miſſus à fratre ſuo Hokta in Indiam, amiſſo omni exercitu vix ipſe incolumis evaſit. Sedem regni Samarcandæ poſuit, & converſus ad fidem Chriſtianam templum *Ioh.* Baptiſtæ in illa urbe ſtruxit teſte Paulo Veneto Ei

N ſuc-

successit filius nomine Barak, post quem series regum Scha-Jadajæ interrupta est usque ad A. 1350. quo tempore Samarkantæ regnavit Soyorgat Mech, quem scriptor vitæ Tamerlanis Achmed Arabsiades alio nomine vocat Husseinum. Nam unum eundemque esse Hussein & Soyorgat inde patet, quia uterque Rex Scha-Jadajæ obiit A. 1370. utrique Tamerlanes in regno successit.

Periodus Tertia.

CANON I.

Imperium Tataricum instauravit Timurus.

Anno 1370. Cum hactenus Tatarorum res mutuis dissidiis prope collapsæ fuissent, Timurus cognomine Lenck i. e. claudus, vulgo Tamerlanes, velut alter Schinguis Khan eas iterum ad summam & longe majorem quam unquam majestatem deduxit; de quo inter Europæos ineptissimæ vulgo jactantur fabulæ, ut quod Præcopensis Tatarus fuerit, Lamim dictum; quod in Caramania scholam frequentarit; Batti filium, & quæ ejus generis alia sunt. Extat vita ejus scripta Hispanice, sed fabulis Amadisii quam historiæ propior. Veram autem de eo historiam scripsit Arabica lingua Achmed Arabsia-

iades & Emirkond Persarum historicus. De origine ejus duæ inter hos opiniones sunt. Achmed eum ex obscura familia pauperem, latronem : Emirkond ex regia Schinguis Chanis familia, cujus majores perpetua serie summi militæ in Scha-Jadaja Duces fuisse vult. Ille odio, hic amore, uterque nimiò affectu abreptus. Quicunque fuerit Thimur, id satis constat ipsum latrocinando ad regnum Scha-Jadajæ pervenisse: quo potitus statim animum ad totius Tatariæ ac universi orbis Imperium adjecit, tam admirabili omnium rerum successu, ut omnium terrarum à China usque ad Poloniam Dominus fieret, adeoque universam Asiam, quod nemini à condito orbe contigerat, solus possideret Præcipua ipsius bella fuerunt Persicum, Tataricum, Desthense, Indicum, Ægyptium & Turcicum, quod postremum omnium maximum fuit, & Christianis procul dubio saluberrimum. Quippe cum Bajazethes Turcarum Imperator gravissime illis incumberet, jamque Constantinopolin obsedisset, Tamerlanes cum in Asiam retraxit, victumque penitus evertit, ut supra dictum.

II.

Id mox iterum defecit.

Causa antecedens fuit mors Tamerlanis, quæ incidit in Annum 1404. Quo sublato variæ gentes, quas hactenus solum Timuri nomen & terribilis potentia in officio continuerat, deficere ac posteros ejus opprimere cœperunt. Ita Kara Issuph Persiam, Khelaludi Indiam, alii Tatariam desertam, alii Turciam Asiaticam invaserunt.

III.

Posteri Tamerlanis retinuerunt regnum Schagadai, & Indiam.

Filiorum Timuri natu maximus fuit Scha Rogh qui in Turkestana Schagadai, Mawaranachar, Persia, Gasna & Indostana late regnavit, Princeps pacificus ac moderatus. Ei successerunt Olog Abdel Atif & Abdulla.

IV.

Illud divisum in regnum Chorazan & Mawaranachar.

A. 1451. Sed mox A. 1452. conjuncta fuerunt, iterumque post obitum Regis Abuzaid A. 1470. divisa.

V. *Ex*

V.

Ex Regno Chorazanis ortum est regnum Magni Usbek.

Nomen Tatariæ Usbek admodum recens esse oportet. Neque enim ante A. 1500. mentio ejus in historiis ulla occurrit. Primus Usbekorum Rex, cujus apud Texeiram ex Emirkond mentio fit, vocatur Budak, quo pulso, atque etiam Baburo cognato suo, qui in Mawaranachar late regnabat, in Indiam ejecto, Schabek seu Sabakan Rex Chorazanæ Usbekanum Imperium vel condidit vel instauravit: quod hodie complectitur, quidquid inter Persiam, Indiam, Chinam & Kathajam terrarum jacet. Ita nomen Usbek extinxit Schagadajam. Contra hunc Schabek Ismael Sophi gravissimum gessit bellum, eumque tota Chorazana expulit. Ita sedes regia translata in urbem Boccaram. Hodie autem plerumque in urbe Balch versantur Magni Usbeki & infensissimi Persarum hostes sunt. Hi Usbekenses Tatari ante biennium expugnasse putantur regnum Chinæ.

VI.

Ex regno Mawaranachar ortum est regnum Magni Mogolis in India seu Indoſtana.

A. 1526. Conditor ejus fuit Babur Rex Mawaranachar, qui pulſus A. 1500. à Schaibek in Indiam exul profugit, ac ibi res novas moliri compertus in Perſiam ſe recepit tantaque in paupertate vixit, ut ruſtico opere victum ſibi quærere cogeretur. Tandem à Schah Thamas rege Perſarum copiis quibuſdam adjutus Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore regnum Magni Mogolis dicta fuit, à Tataris, qui proprio nomine Mogoles appellantur, vulgo corrupte Mogores. Succeſſit Baburo An. 1530. filius Homajon, quem ex India ultra Gangen, quæ hodie Bengala & Potana adveniens Tzeer Khan tota iterum India expulit. Homajon exemplo Patris in Perſiam fugit, & ejuſdem Schah Thamas armis primo in regnum Candahar & Kabul A. 1550. quinquennio poſt in ipſam Indoſtanam pulſis Potanenſibus reſtitutus eſt. Sed ſexto regni menſe, cum fractis cervicibus repente exſpiraſſet, ſucceſſorem habuit A. 1555. filium Acbar, qui regum Indiæ potentiſſimus, evaſit, ac multis præclare geſtis An. 1606. regni quinquageſimo anno

anno obiit. Successit Selimus Muhammed Schi-Hangir, & huic inter maximas turbas Anno 1627. Chorum cognatione Schaschihan, qui hodieque Monarchiam Mogolum in India moderatur.

VII.

Septentrionalia magnam partem hodie nobis ignota sunt.

Quidquid supra Usbekiam & Chinam situm est Tatariæ, vulgo putatur esse Imperium Magni Chani, ut loquuntur. Sed de illius seu nomine seu potentia hactenus ne à proximis quidem gentibus quidquam explorari potuit. Russorum Imperatores nuperis adhuc annis expeditos miserunt viatores, qui ultimum illum Asiæ tractum explorarent. Et illi quidem progressi à fluvio Obi perpetuo versus Orientem tractu tandem pervenerunt ad celebrem illum murum, quo China à Tataris Septentrionalibus distermінatur, retulerunt varias ibi habitare gentes parvis distinctas regnis vel Principatibus, barbaras plerumque & incultas, præcipuam vero Mogolum amplissimam esse nationem. Hi sunt illi Mogoles, ex quibus Schinguis Khan prodiit. Distinguuntur in flavos & nigros. Ad fluvium Kittam, unde Kataja denominatur, regnat Rex Altinus, qui haud

dubie ex posteris vel successoribus illius Altunchani sive Unkami, de quo supra.

REGNA INDICA.

CANON I.

Schabek condidit regna Indiæ Orientalis.

1. HIc est ille de quo can. V. præcedente. Admodum confusa sunt, quæ ab historicis ea de re referuntur. Quippe tradunt potentissimum quendam regem occupata universa pene India potiorem ejus partem dedisse consobrino suo, contra quem quinque conspirarint Præfecti, illoque in carcerem detruso inter se distribuerint regna Indiæ. Extat hujus rei prolixa narratio apud Garsiam ab Horto in historia Aromatum cap. 28. & apud Linschotium c. 28. Sed narratio Garsiæ peccat in temporum seriem, neque ulla ratione conciliari potest cum aliorum tradationibus. Error inde notus, quod confundunt duplicem Schabek, seu ut alio nomine appellatur Scha Holam, quorum proximus vixit circa A. 1500. alter vero circa A. 1530.

II.

Regna Kunkam sex numerantur.

Totus ille tractus, qui inter imperium Magni

gni Mogolis & regna Malabar ſitus eſt, appellatur uno nomine Kunkam, ac hodie dividitur in ſex regna. Primum eſt regnum Decan, cujus Reges appellantur communi nomine Imad Maluco, i.e, Columna Regni, pro quo Luſitani corrupte pronunciant Madre Maluco. Secundum eſt regnum Amdenager, cujus Reges vocantur Niſa Maluco, i.e. Haſta regni. Tertium eſt regnum Braganadar, cujus reges vocantur Cotteb Malucco i.e. Vertex Regni. Quartum proprio caret nomine, cujus primus Rex nomine Verido natione Hungarus obiit A. 1510. Quintum eſt regnum Vizapor, cujus Rex Muhadum Koja: Sextum eſt regnum Goæ, cujus primus Rex appellatus fuit Saheb Adelkan, i.e. Dominus, Rex Juſtitiæ, ex quo Portugalli corrupte fecerunt nomen Sabajo & Hidalkan. Hodie præcipuum inter hæc eſt regnum Dekan, cujus reges appellantur Neſam Schah. Perpetua gerunt bella contra Magnum Mogolem & Portugallos. Ultimus, cujus notitiam habemus, ſucceſſit A. 1625. filius Melec Amberis, Regnum Goæ obtinent Luſitani.

REGNA MALABAR.

I. *Malabar diviſa fuit in varia regna.*

Regnum Malabar antiquiſſimum eſſe cenſetur uni Regi ſubjectum, quorum

ultimus Sarama Perymal, circa A.C. 900. à Mahumedanis seductus ultro abdicato regno, Meccam peregrinatum concessit, ibique sanctitatis opinione vitam finiit. Cumque liberis careret, regnum suum fidissimis ministrorum distribuit. Videatur Scaliger l. 5. de emendatione temporum, & Lindschoten c. 12. Indiæ Orientalis.

II.

Kalecutum inter regna Malabar imperium obtinuit.

I. Uni ex intimis amicorum suorum Sarama Perimal tribuit titulum Zamori i.e. Imperatoris, cui reliqui tanquam supremo Domino subjacerent. Is A. C. 907. exstruxit urbem Kalecuth & in ea imperatoriam sedem posteri ejus in hunc diem, quanquam multum imminuta authoritate, retinent. Nomina Imperatorum propria ignorantur, nec nisi confuso Zamorum nomine memoria eorum extat. Unus tamen nomine Ganser memoratur ab Aloisio Cadamusto, quem regnasse tradit circa A. 1498. Potentia eorum decrevit circa A. 1500. infracta potissimum à Portugallis, qui sedem mercaturæ Calecuto Cochimum vicinam urbem transtulerunt. Ita hoc regnum ex maximo mi-

minimum factum, Retinuerunt tamen ejus Reges titulum Zamori, seu Imperatoris.

2. Regna Minora fuerunt Cochin, Canonor, Baticola, Chala, Onor & Culon cum aliis quibusdam minoribus, quorum pleraque hodie Lusitanis parent.

REGNA NARSINGÆ.

Regna Narsingæ sunt Negapatan, Malipur. Bisnagar, Orixa.

QUem tractum nautæ vulgo appellant Choromandel, is complectitur regna Narsingæ, quæ etiam Bisnagar appellantur. Regis Narsingæ tanta perhibetur esse potentia, ut regnum ejus intra sex menses vix circumiri possit. Ceterum historia non hujus modo, verum & aliorum per Indiam regnorum tota fere adhuc nobis ignota est, Mercatoribus potius de pipere quam historia sollicitis. Nomen & titulum regum est Virapanai, Regum Malibur Vengabatir.

REGNUM PEGU.

Regnum Pegu miserrime desolatum fuit.

ANno 1600. Hoc regnum unum ex amplissimis per Indiam fuit, ac universam

ad fluvium Gangem Indiam complectebatur. Circa A.C. 1560. quidam præfectus Provinciæ Tanguth rebellare contra Dominum ſuum cœpit, ac felici expeditione regnoPegu inſuperBrom,Melindai,Calan,Mirandu, Ava, Arakan & Makin ſingula regna adjecit.Hoc ſucceſſu elatior regnum quoque Siam bello petiit, cujus cauſam fuiſſe Elephantem album, quem Siamenſes Peguenſibus negaverant, refert Lindſchoten c. 17. Sed potentia injuſte acquiſita perennare non potuit. Primo enim defecit patruus Regis regno Ava præfectus, quem tamen in bello A. 1598. ſua manu interfecit. Sequente anno defecit regnumSiam,ac ingruentibus undique innumeris calamitatibus, fame,peſte, bello ita deſtructum fuit regnum Pegu, ut A. 1600. per multa miliaria nil niſi continua hominum cadavera ſpectantibus cum horrore occurrerent. Nunquam ſimilis accidit integræ gentis internecio,. & quæ de Judæorum ſub Romanis, Hungarorum ſub Tataris excidio leguntur, levia præ his ſunt. Videatur hiſtoria Indiæ Orientalis ſcripta à Petro Jarrige p. 850. Ita regnum Pegu penitus deſolatum pervenit ad Regem Aracan. Hodie tamen ita inſtauratum eſt, ut nulla tantæ cladis ſuperſit memoria.

REG-

REGNUM CHINÆ.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Regnum Chinæ antiquissimum perhibetur.

SEcundum traditiones Chinensium, prout illas refert *Ioh*. Gonzales de Mendoza, initium illius regni incidit in tempus ante diluvium & A. M. 1417. Non vero ut Scaliger & ex eo Ubbo Emmius falsò supputant.

Hoc initium satis arguit aliquid in serie Regum vel numero annorum erroris commissum. Primus regni conditor perhibetur fuisse Vitey, cui omnium artium inventionem adscribunt Chinenses. Ergo antiqua illa tanquam incerta omittamus.

PERIODUS SECUNDA.

Tatari China potiti.

ANno 1267. Kublai seu Kobila Tatarorum magnus Khan expeditione in Chinam suscepta Regem ejus Facfur pepulit ac universa China potitus fuit. Ita refert, qui præsens huic expeditioni interfuit scriptor fide dignus M. Paulus Venetus, à quo dissen-

ſentire pleriſque Mendoza videtur. Nam Regem Tatarorum, à quo ſubacti Chinenſes, vocat Uzou, Regem Chinæ Tepin, ex quo colligunt hanc rem contigiſſe demum A. 1280. non vero 1260. ut Venetus vult. Error hinc natus, quod initium Bonog Regis Sinæ putant præciſe incidere in A. 1580. id quod Mendoza nuſpiam tradit. Verum hoc tantum: Eo quo ſcripſerit tempore, nim. A. 1580. Bonog fuiſſe juvenem annorum 25. Ipſe autem Mendoza cum ſcriberet, non in Sina verſabatur, ſed in urbe Americæ Mexico, ut neceſſe ſit aliquot interceſſiſſe ad minimum annos, antequam hujus rei notitiam ex China habere potuerit. Atque hinc tota ſupputatio Regum Sinenſium apud Scaligerum, Emmium alioſque vitioſa eſt. Obtinuerunt Sinam Tatari Annis 92. ſub novem Regibus.

PERIODUS TERTIA.

Chinenſes Tataros expulerunt.

CIrca A. 1360. Cum enim Tatari impotenter dominarentur, Chinenſes jamdudum pertæſi barbaram gentem conſpiratione facta Duce Homvu univerſos expulerunt, atque ita antiquum regnum ſuum inſtaurarunt, creato Rege eodem Homvu, qui

novas

novas leges contulit, illamque imperii formam instituit, quæ ad nostram usque memoriam continuata fuit. Ab eo duodecimus fuit Rex Bonog. Ceteri ut & omnis fere Sinensium historia adhuc nobis ignorantur.

PERIODUS QUARTA.

Tatari denuo expugnarunt Sinam.

ANno 1647. Tum enim irruptione facta Urbem Paquin obsederunt, eaque capta Regem Sinensium strangularunt, ac postea universo regno potiti perhibentur. Cumque potentissimus superesset Pirata, qui solus illis sese opposuit, illum fraude circumventum ac in potestatem redactum ferreæ caveæ incluserunt, ac per universam Chinam spectaculo circumduxerunt.

REGNUM MALACCA.

Regnum Malacca admodũ recens est.

CUm tractus ille insaluberrimus sit diu incultus mansit, nec nisi casæ ad littus piscatoriæ septem vel octo reperiebantur, donec numerus confluentibus ex Pegu, Siam, Bengala, plurimis augeretur: inter quos tandem convenit, ut novam urbem, Remp. linguam, legesque conderent. Urbs Malacca dicta, quæ brevi tempore ita crevit, ut

cum

cum maximis & cultissimis totius Indiæ certaret. Id admirabile, quod Malaccani novam penitus linguam excogitarunt, delectis aliarum gentium elegantissimis vocabulis, cujus tanta est suavitas & elegantia, ut hodie per universam Indiam communis sit, ac nemo habeatur doctus vel moribus excultus, nisi ejus peritus sit. Vartomanus lib. 6. c. 17. tradit Malaccam circa A. 1420. à Rege Kini conditam & ejus incolas à Javanis originem traxisse. Reges habuit Mahumedanos, sub quorum ultimo Alphonsus Albuquerckius eam Regi Lusitaniæ subjecit: quibus iterum à Batavis ante aliquot annos erepta fuit.

REGNA INSULARUM INDIÆ ORIENTALIS.

REGNUM JAPON.

PERIODUS PRIMA.

Iaponia Dairis paruit.

IAponios tradunt à Sinensibus originem traxisse ante octo circiter secula: cum hactenus insulæ illæ incultæ fuissent. Regna habuit 53. quæ omnia uni parebant Monarchæ quem Dairum appellabant, ac veluti Numen aliquod venerabantur.

PE-

PERIODUS SECUNDA.

Illis successerunt Imperatores.

ANno 1600. Cum enim authoritas Dairorum jàm inde ab A. 1500. propter intestina dissidia multum fuisset diminuta, Reges Provinciarum passim rebellare ac suo arbitrio vivere cœperunt. Præcipuus ex his fuit Nubunanga Rex Voaris, qui A. 1570. Urbe Meaco capta potentissimus totius Japoniæ Rex evasit: ita tamen ut adhuc cognosceret authoritatem Dairi. Ei A. 1586. successit Taxiba Quaba Condonus eodem titulo. Huic Taikosamma qui A. 1600. Imperator Japoniæ à Dairo sponte se abdicante declaratus novam Monarchiam condidit, de cujus factis, potentia ac magnificentia stupenda referuntur. Ei successit A. 1607. filius Fidery Samma, qui cum adhuc minorennis esset, tutelæ Ongoschionis commissus fuit, à quo, cum jam ad annos pubertatis pervenisset, A. 1616. nefarie obtruncatus fuit. Successit ipse Ongoschio intra vertentem annum extinctus. Huic A 1617. Kombosamma: Huic A. 1631. Chiongon, qui hodieque imperat.

REGNA ALIARUM INSULARUM.

I. *Singulæ Insulæ peculiares Reges suos habent.*

QUarum innumeræ: præcipuæ Sebuth, Moluccæ, Philippinæ, Borneo, Gilolo, Timor, Banda & aliæ, quarum historia tota fere ignota est.

II.

In Iava est Regnum Bantam Madaran.

Pontentissimus in Insula Javan ille Rex est, quem vulgo vocant Regem Madaran.

III.

In Sumatra sunt Pedir & Agein.

Insulam Zeilon jam circa A.C. 1290. uni Regi subjectam fuisse *Marcus Paulus* Venetus lib. 3. c. 26. & Haito Armenus cap. 6. tradunt: post quæ tempora Zingalæ (ita appellantur Zeilonenses) trucidata Rege suo Insulam in multa regna diviserunt, quorum quatuor ad A. 1500. Vartomanus numerat. Plures autem fuerunt, quorum præcipuus Colmugi, cui cæteri omnes tributum pende-

lebant. Circa A. C. 1580, Tonsor quidam, cui nomen Maru Ragu interfecto Rege pręcipuo, ceteris pulsis totius Insulæ Monarcham sese coustituit sede Regia in Urbe Candi posita. Cum hoc Fimala Rege Zeylon Ordines fæderati Belgii fedus inivere ac societatem circa A. 1600. Ei successit Fimala Derma, Suri Ada, qui à Portugallis baptizatus Christiano ritu, Johannes de Austria dictus fuit. A. 1647. Regem Waed Madale similiter baptisatum dictumque Theodosium nupera fama tulit vera an falsa adhuc incertum.

IV.

Maldivæ unum Regem habent.

Earum enumerantur ad 11000.

FINIS ASIÆ.

AFRICA.

REGNUM ABYSSINUM.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Abyssini ex Arabia in Africam transgressi.

ID factum fuisse antiquissimis temporibus necesse est. Abyssinos Arabiæ Felici populos fuisse & in Æthiopiam Africanam transgressos ex Uranio Stephanus testatur Arabes eos vocant Habassi. Ipsi autem sese Chaldæos profitentur, & ea in sacris lingua utuntur. Quod quidem mirum videri non debet, cum ex Assyria in Æthiopiam coloniæ deductæ sint. Videatur Niceph. l. 9. cap. 18, Scaliger de Emendatione temporum lib. 7.

II.

Antiquissimi eorum reges incerti sunt.

Extat quidem catalogus Regum Abyssinæ: sed cui parva fides debetur. Reginam Sabæ, quæ ad *Salomonem* accessit, eorum ordini inserunt manifesto errore: cum illa in Arabia felice regnarit. Id certiori fide ex Stra-

trabone, Plinio & Dione Caſſio diſci-
ius fuiſſe ſub Ægypto Æthiopum regnum
ωυαιγγκρατȣ́μενον, cujus reginæ communi
omine Candaces appellabantur, à quarum
na, cujus 8. cap. Act. mentio fit, per Eu-
uchum à *Philippo* baptizatum Chriſtianam
eligionem ſe accepiſſe gloriantur Abyſſini.
ub *Iuſtiniano* I. Imperatore Rex Æthio-
um Axunitarum fuit Adad ſeu *David*, qui
d fidem Chriſti converſus: à quo tempore
la Æthiopia inter medios barbaros religio-
iem Chriſtianam ſed innumeris deforma-
am erroribus retinuit.

PERIODUS SECUNDA.

I. *Reges Abaſſiæ titulo Presbyterorum Iohannis innotuerunt.*

AB A. C. 1200. Tum enim jactari à peregrinantibus per Europam fama cœpit, eſſe, in remotiſſimis terris potentiſſimum Regem Chriſtianum nomine Presbyterum *Iohannem*. Sed de loco concordare non poterant: aliis in Aſia, aliis in Africa, aliis utrobique ponentibus. Id in univerſum vulgus credebat regionem illam omni modo feliciſſimam eſſe. Ibi prata ſemper virentia, & nullo labore quæſitas dapes, ibi Elyſios Poëtarum campos, ut fabula illa in-

Pro-

Proverbium quoque abierit, quo Belgæ hodieque florentissimum regionis statum vocant Paep Jans land, pro quo Germani dicere solent Schlaraffenlandt. Tandem circa A. 1500. detectus error & repertus in media Africa ille tamdiu quæsitus Presbyter *Iohannes*: Cujus quidem nomen ex Persica voce Preiter Chan, i. e. Rex Mancipiorum deductum, quod mancipia Abyssena toto Oriente frequentissima sint. Ipsi Æthiopes quatuor nominibus appellant Imperatorem suum 1. Belulgian, i. e. lapidem preciosum ac præfectum. 2. Hase, i. e. Electum, cum in solio regio collocatur. 3, Neguz, cum coronatur. 4. Masih, i. e. Unctum, cum à Patriarcha oleo sacro inungitur. Circa A. 1400. regnavit Zarah *Iacob*, qui legatos suos Romam ad Papam *Eugenium* IV. misit. Postea abruptum commercium, donec Lusitanis in Indiam Orientalem navigantibus *David* cognomine Lepdanadengil eorum opem contra Turcos & Saracenos imploraret, à quo tempore Europæi illud frequentare cœperunt, præsertim cum Abasseni portum Ercocco in mari rubro adhuc tenerent. Videatur Paulus Jovius lib. 18. Historiarum.

II.

Dicuntur posse Nilum ab Ægypto avertere.

Cum quæreretur cur Abyssinis penderent tributa Saraceni, Ægyptii & Turcæ, responsum fuit causam hanc esse, quod, cum fontes Nili in Abyssina sint, ipsumque flumen illud, à cujus incrementis pendet fertilitas & salus Ægypti, per illud regnum labatur, eo intercluso & diverso, posse universam Ægyptum fame urgeri. Sed hæc non nisi inanis & incredibilis fabula est. Quis enim credat tam vastum flumen posse diverti à suo cursu? Et pone posse, non minori damno afficeretur Æthiopia quam Ægyptus, denique nihil eo terrore commotos fuisse Turcas, eventus docuit.

III.

Turcæ majorem partem Habassiæ occuparunt.

Ita quidem, ut ex tot provinciis nonnisi quatuor hodie supersint Imperatori, ceteris vel à Turca vel à barbaris Afris occupatis.

RE-

REGNUM MONOMOTAPÆ.

Monomotapa dividitur in quatuor regna.

VErum Monomotapæ nomen eſt Mocaranga. Titulus communis regum Mana: unde nomen Manamo Tapa, i.e. Rex Motapa, ſicuti Manacongo & ſimilia. Olim tota Mocaranga unum regem agnoſcebat: ſed ſuperiori ſeculo Rex, cum ſe tot Regnis gubernandis imparem videret, inter quatuor filios eadem diſtribuit & majori natu dedit regnum Manamotapæ, ſecundo regnum Quidevæ, tertio, regnum Sedandæ, quarto regnum Chicangæ. Tribus poſterioribus poſt Patris obitum nunquam perſuaderi potuit, ut fratris majoris authoritatem agnoſcerent. Inter eos quatuor Reges, Quidevæ potentiſſimus hodie eſt.

REGNA AFRICÆ VARIA.

I. *Singulæ fere urbes ſingulos reges habent.*

QUalia ſunt Buttua, Sophala, Quiloa, Batta, Prava, Magadoxo, Angoſchia, Moxemuga, Mombaza, Melinda, Monſia, Zanzibar & alia quamplurima, quæ communi nomiue, appellatur regna Caffarum: i. e.

. e. infidelium, quod eorum incolæ adhuc pagani ſint.

II.

Madagaſcar varios reges habet.

Hæc Inſula totius Africæ maxima circa A.C. 1290. regem non habebat: ſed 4. ſenioribus Ariſtocratico jure parebat teſte Marco Paulo Veneto lib. 3. c. 39. Noſtro tempore in plurima dividitur regna, ſemper inter ſe hoſtilia.

REGNA CONGO.

PERIODUS PRIMA.

I. *Regna Congo conjuncta fuerunt.*

OLim ſingulæ provinciæ ſingulos habebant reges, nimirum Sunda, Panga, Batta, Songo, Bamba, Angola, Mathama, ſive Climbeba & Bemba: donec tandem univerſa in unius Regis Bembæ poteſtatem concederent: quod diu ante A. 1400. factum fuit.

II.

Variæ provinciæ defecerunt.

Factum ante adventum Portugallorum. Provinciæ quæ defecerunt à Congen-

ſibus & propria regna conſtituerunt, ſunt Angola, Loango, Chizzama, Matama, & Anzica.

III.

Rex Angolæ potentiſſimus.

Hoc regnum antiquo & vero nomine appellatur Ambondæ. Circa A. 1500. quidam Procerum nomine Angola Luſitanorum ope cæteros regulos ſubegit & ſeſe Monarcham conſtituit, à cujus etiam nomine regio Angola dicta, cui ob rerum geſtarum magnitudinem cognomen Inenc, quod eſt, Magnus, datum: cui A. 1560. ſucceſſit Tambi Angola, & ei A. 1518. Quilonge Angola, qui adhuc vixit circa A. 1600. Tanta horum regum potentia eſt, ut plus quam 1000000. hominum in aciem producere poſſint.

IV.

Regnum Congo Agages ſeu Iacchæ deſtruxerunt.

CAuſam referunt Congenſes in ſuſceptam religionem Chriſtianam Luſitani in eandem contemptam ac neglectim habitam. Res ita ſe habet. Luſitani in circumnaviganda Africa occupati mercaturam cum

cum Congensibus exercere, ac familiarem notitiam contrahere cœperunt; qua occasione fides Christiana paulatim apud eos introducta tanto cum successu, ut ipse *Ioh.* II. Portugalliæ Rex eo navigaret, & Regem Congo converteret, qui A. 1491. baptizatus *Iohannis* nomen accepit. Intra breve tempus totum fere regnum non tantum fidem, verum etiam vestitum moresque Lusitanorum suscepit. Hæc mutatio gravissimis motibus occasionem præbuit, & suspecta barbaris hæc peregrinitas erat. Primi Anziges defecerunt, gens qua nulla Africam magis barbara colit. Secuti exemplum Congenses, quorum longe maxima pars ab Alphonso Rege, qui *Iohanni* successerat, defecit. Sed rebellibus cunctis superior tandem factis fuit Alphonsus, cui successerunt ordine *Petrus*, *Franciscus*, *Iacobus*, *Henricus* & Alvarus primus, sub quo Agages sive Jacchæ populus interioris Africæ ferocissimus A. 1560. regnum Congo invaserunt, illudque ingenti cæde exhaustum occuparunt. Rex Alvarus cum suis, qui cladi superstites erant in exiguam insulam fluminis Zaire compulsus extremas ibi sustinuit ac ineffabiles miserias, barbaris interea toto regno crudelissime grassantibus. Cum hic rumor pervenisset ad Sebastianum Regem

Portugalliæ, miſſo cum copiis *Franciſco* de Govia Jacchis bellum intulit tam felici ſucceſſu, ut paulo poſt tota Congo expellerentur. Ita reſtitutus regno ſuo Alvarus, cui circa A. 1580. ſucceſſit *Alvarus* II. poſt quem quis in Congo ſtatus fuerit, nondum intelleximus.

REGNUM FEZ & MAROCCO.

PERIODUS PRIMA.

CANON I.

Regnum Fez condiderunt Ommiade.

CIrca A.C.800.Cum enim familia Ommiæ per Abbazidas Caliphatu Syriæ dejecta fuiſſet, partim in Africam partim in Hiſpaniam ſuperſtites ſe receperunt, ac ibi novos Caliphatus condiderunt. Ex iis oriundus Idris ad Montem Atlantem in Mauritania urbem Fex condidit, & in ea ſedem regiam poſuit, adſumpto Caliphæ titulo.

II.

Occuparunt Cretam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, Maltham partemque Italiæ.

Hi Saraceni Africani circa A. C. 820. om-

omnes pene insulas maris mediterranei sua piratica infestarunt & vel graviter adflixerunt vel penitus occuparunt, præcipue Cretam ac Siciliam. In creta condiderunt urbem Candiam, à qua toti Insulæ impositum nomen. Sicilia A.C. 828. in potestatem Saracenorum venit, mansitque 250. annis.

PERIODUS SECUNDA.

Zeneti Mauritania potiti.

CIrca A. 950. Zeneti fuerunt Africæ populi, qui familiam Idris penitus exstirparunt. Eorum duce familiæ Mec-Naza & Magraoa, quæ regnarunt C. annos & quod excurrit.

PERIODUS TERTIA.

Lautunii Almoravidæ pepulerunt Zenetos.

ANno C. 1052. Lautunii Africæ populus ad Montem Atlantem creato Rege, Zenetorum imperio finem imposuerunt, ac in Africa & Hispania omnium latissime imperare cœperunt. Primus Regum fuit Abul Thessefin seu Texifus, qui sedem regni posuit in urbe Achmed. Ejus successor *Iosephus*, qui universam Africam usque ad Ægyptum

& Nigritarum regionem ſibi ſubjecit, transfretato in Hiſpaniam exercitu pene univerſam occupavit, de quo Rodericus Toletanus in hiſtoria Hiſpanica & Saracenica. Condidit quoque urbem Marucco, quæ regni ſedes deſerta Feſſa impoſterum eſſe cœpit.

PERIODUS QUARTA.

Almoravidas pepulerunt Almohadæ.

ANno C. 1139. Ludimagiſter quidam, cui nomen Abdalla Elmohadi ſpecie religionis reformandæ, comparato exercitu *Abrahamum* ultimum Regem Almoravidum prælio ſuperavit, ac ad tantam adegit deſperationem, ut ſe de rupe quadam in mare cum equo præcipitaret. Ita potitus Africa Ludimagiſter Regem ſe fecit ac paulo poſt defunctus ſucceſſorem habuit Abdelmumen, cujus tanta fuit potentia, ut in ſola Africa regnum ejus in longitudine 90. dierum iter complecteretur, & in Hiſpania uſque ad Aragoniam magnam Caſtiliæ & Luſitaniæ partem occupabat Ejus ſucceſſor *Iacobus* Almanſor majus adhuc incrementum addidit.

PERIODUS QUINTA.

I. *Almohadas destruxerunt Merini.*

CIrca A. 1210. Causa ejus ruinæ fuit ingens clades, quam Muhamed Enazir in Hispania ad Navas Tholosanas accepit amissis suorum 200000. Unde profugus in Africam ac paulo post mœrore animi extinctus jacturam omnium regnorum fecit. Hanc calamitatem auxit dissidium inter filios ejus, quorum cum reliquisset decem discordes inter se, occasionem præbuerunt defectioni provinciarum singulis pene præfectis nova regna constituentibus. Ita ex naufragio imperii Almohadum nata sunt varia per Hispaniam & Africam regna, nimirum regnum Granadæ, Fez & Marocco, Thremesen, Tunes, Tripolis & alia minora.

II.

Granada magnam Hispaniæ Bæticæ partem complectitur.

Cujus regni initium cœpit An. 1237. Cum enim Muhamed Aben-Hud Rex Andalusiæ occisus fuisset, Mauri Hispanienses creato Rege Muhamed Alhamar sedem regiam ex urbe Almeria transtulerunt Granadam, Contra hos reges Granadæ perpetua

tua gesserunt bella reges Castiliæ, donec tandem *Ferdinandus* Catholicus capta A. 1492. urbe Granada finem regno Maurorum in Hispania imponeret, ut supra dictum.

III.

Regna Tunis & Thremesen occuparunt Turcæ.

1. Regni Tunetani primus conditor fuit Ibrahim filius Zachariæ, quem Thuanus male vocat Abul-Feritz, qui diu postea demum regnavit. Series Regum Tunetanorum non extat integra. Nam quæ apud Fazellum, Thuanum, Ubbonem Emmium & alios reperitur, manca atque corruptissima est, ita quidem ut ab Ibrahimo usque ad Buffarem qui ei successisse dicitur per 200. annos interrupta sit series regum. Regnavit Buffares circa A.C. 1430. ac Regnum inter tres filios suos divisit. Regnum Biled-Ulgerid dedit Hammar, Bugiæ Abdul-Azizo, Tuneti Huthmeno. Regnum Bugiæ duravit usque ad A. 1510. quo id Petrus Navarrus jussu *Ferdinandi* Regis Castiliæ destruxit. Huthmen duos reliquit filios, quorum major natu Esaias in regno Tunetano successit, alteri dedit Tripolim regio titulo, quod regnum itidem à *Petro* Navarro ever-

sum

ſum fuit. Ex Regibus Tunetanis clariſſimus apud Europæos & notiſſimus eſt Muleaſſes, quem *Carolus* V. à ſuis pulſum A. 1534. reſtituit, & aliquoties ejus cauſa in Africam cum exercitu trajecit, de quo prolixe Sleidanus, *Paulus Iovius*, & Thuanus. Varia inde regni Tunetani fortuna fuit, inter Turcas, Afros & Hiſpanos fluctuantis, donec A. 1573. *Ioh.* Auſtriacus Tunetum expugnaret, ac ſeſe ejus regem conſtituere omni modo conaretur, niſi conatibus ejus *Philippus* II. Hiſpaniæ Rex data Belgii præfectura obſtitiſſet. A. 1574. Tunetum Imperio Turcarum acceſſit.

2. Regnum Thremeſen, quod alio nomine Telenſinum appellatur, perantiquum fuiſſe cenſetur, & jam circa A. C. 900. cœpit ſecundum *Leonem* Africanum. Sed antiquitas illa obſcura eſt, ac ipſum regnum ſub poteſtate Almohadum, quibus deficientibus A. 1210. regnum invaſit Gamzar filius Zejen, quem Mariana vocat Gomaranza, Thuanus Gomarazanam. Ejus poſteri varia fortuna regnarunt, crebro à Regibus Maroccanis & Tunetanis adflicti. Nomina regum fere omnia deſiderantur. Ultimus fuit Habdulla, quem Barbaroſſa pirata ſuperiori ſeculo evertit.

3. A Regno Thremeſeno defecit Urbs

Algeria proprio constituto Rege: quorum ultimus nomine Selimus à celebri illo pirata Horuccio Barbarossa A. 1515. occisus fuit. Ita regno Algeriæ potiti piratæ, & ab eo tempore usque in hunc diem commune omnium piratarum maris mediterranei receptaculum est. Horuccio A. 1516. successit Cairadin seu Hariadenus Barbarossa, de cujus facinoribus plena *Caroli* V. historia. Is prædo cum sese partibus Turcarum adjunxisset, Siciliam, Italiam, & alias *Caroli* V. provincias miserrime devastavit.

IV.

Merini obtinuerunt regnum Fez.

Initium Merinensium incidit in A. C. 1269. Distinguendum enim inter eorum principatum & regnum. Principatus A. C. 1210. in *Buccar Merino* cœpit, ejusque successores principum titulo contenti fuerunt, donec capto Marocco *Iacobus* filius Abdullæ sese A. 1269. regem appellaret. Integra regum Merinorum series non extat, sed sparsim eorum nomina, quanquam non omnia ex Leone Africano colliguntur. Ultimus fuit Abdulla.

PERIODUS SEXTA.

I. *Merinis successerunt Oattasseni.*

ANno 1420. Extincta Merinorum familia Hascenes *Scheriphius* regnum Fez occupavit, quem intra annum dejecit *Said Abra* ex familia *Oattas*, quæ varia fortuna regnavit usque ad A. C. 1548.

PERIODUS SEPTIMA.

Oattassenis successerunt Scheriphii.

CUm sub Oattassenis circa A. C. 1500. regnum Fez defectione provinciarum vehementer debilitatum fuisset, Hamed Scheriphius prætextu religionis & belli contra Portugallos miris artibus regnum Maroccanum occupavit A. C. 1512. de quo prolixe Thuanus lib. 7. Huic Hamedi frater erat Muhammed Scheriphius junior quidem ætate, sed virtute, prudentia, comitate, aliisque virtutibus longe superior, qui deprehensa fratris socordia, cum hactenus Susiæ præfectus fuisset, A. 1527. ibidem regnum invasit ac interpellatus propterea à fratre non modo factum defendit, verum etiam thesauros patrios secum dividi ac filium suum successorem constitui voluit. Renuentem fra-

trem armis ad regni divisionem compulit, ac familiam Scheriphiorum ita in imperio confirmavit, ut tandem extincto Hamede rege Fez, qui ultimus familiæ Oattassenorum erat, totius Mauritaniæ regnum solus consequeretur A. 1548. Et hæc familia Scheriphiorum hodieque regnat. Nam quamvis Oatasseni rege creato Buacone auxiliis *Caroli* V. & *Philippi* Regum Hispaniæ non semel tentarent recuperationem regni, superior tamen semper fortuna Scheriphiorum evasit. Muhammedi A. 1557. successit filius Abdalla, qui censu militum suorum instituto octoginta equitum & decies centena millia peditum in regno suo ad bellum conscripsit, de quo Thuanus lib. 20.

II.

Dissidium inter Scheriphios regnum Portugalliæ gravissime adflixit.

Hujus dissidii causa hæc fuit. Cum Muhammedes Scheriphius tres filios relinqueret. Abdallam, Melicum, & Hammedem, Abdallæ successionem tanquam primogenito deferri voluit, & post ejus mortem cæteris ordine fratribus, exclusis Abdallæ liberis. Sed cum Abdalla, spe successionis fratribus erepta, Provincias inter liberos distribuisset, atque ei A. 1574. exclusis Patruis, filius Mu-

Muhammedes Niger ſuccederet, Melicus & Hammedes hac injuria irritati bellum civile in Africa concitarunt, quod varia per aliquot annos fortuna geſtum. Muhammedes Niger amiſſa Fez. & Marocco in vicinos montes ſeſe recepit & Sebaſtianum Portugalliæ Regem ad auxilia ferenda contra patruos evocavit, qui infeliciſſimo conſilio, ambitione ac juventa fervidus in Africam cum exercitu trajecit, & commiſſo prælio regnum Portugalliæ penitus evertit A. 1578. Id prælium tribus Regibus fatale fuit. Cæſi in acrie Sebaſtianns Portugalliæ Rex & Muhammedes Niger. Abdalla Melicus victor præ nimio gaudio repente extinctus fuit & regnum fratri ſuo Hammedi reliquit. Videatur Thuanus lib. 57. & 65.

III

Scheriphii perpetuo inter ſe diſcordes ſunt.

Ab eo tempore, quo exorta inter Patruos ac Nepotes de ſucceſſione in regnum controverſia perpetuis Mauritania Scheriphiorum bellis jactatur, de quibus Thuanus lib. 129. alii hiſtoriæ noſtri temporis ſcriptores.

IV.

Rebellavit contra eos quidam Hamed Ben Abdalla.

A. 1612. Nam contendentibus inter ſe de regno Scheriphiis quidam Mulei Hamed Ben Abdalla ſimulato ſpiritu prophetico ſeſe à Deo miſſum jactabat pro liberanda à Scheriphiorum Tyrannide Africa, & ad defendendam Muhammedis religionem. Is non contentus regnis Fez & Marocco totius Africæ, omniumque àd Chinam uſque regionum ſeſe appellavit Regem. Mulei Sidan Rex Marocci contra Impoſtorem ducto exercitu arte magica & incantationibus ab eo victus fuit: ſed intellecta fraude receptis ſecum aliis Magis iiſdem artibus novum hunc Saracenorum Monarcham ſuperavit, ac fluctuantem Scheriphiorum familiam extincto æmulo reſtituit. Ordines federati Belgii miſſo Cornelio Pynackero cum hoc Sidan contra Abdallam fedus inivere. A. 1609. Sidani A. 1634. ſucceſſit frater Mula Alwalid. Huic A. 1639. Muhammed Ibben Mula Sidan, puer 13. annorum, qui hodieque rerum in Africa potitur.

FINIS AFRICÆ.

AME-

AMERICA.

INSULÆ FORTUNATÆ, ſive CANARIÆ.

CANON I.

Singulæ ſuos reges vel Duces habuerunt.

INſulæ Fortunatæ ab Hiſpanis mercatoribus circa A. 1370. primum detectæ fuerunt. Quælibet Inſula ſuam linguam ſuoſque Reges habuit. Carebant igne ac ferro, duabus ad vitam humanam maxime neceſſariis rebus. Præcipua earum fuit magna Canaria, in qua circa A. 1430. regnabant duo Reges, Unus quidem Theldæ nomine Doramas, alter Galderæ, nomine Guavartema. Inſula Teneriffa duces habebat novem libera electione ſuccedentes. Sub *Henrico* IV. Rege Galliæ Robinus de Bracamonte Franciæ Archi-Thalaſſus has inſulas pro filio ſuo *Iohanne* de Betacourt regio titulo impetravit, qui expeditione contra barbaros ſuſcepta regem Canariæ, Lanzarottæ. Fortaventuræ, Gomeræ, Ferro ſe appellavit, cui ordine ſucceſſerunt Menardus, *Petrus*, Barba, *Ferdinandus*, Beraza & Didacus de *Herrera*, qui omne jus ſuum tranſtulit ad *Ferdinandum* Regem Ara-

Aragoniæ, à quo tempore Insulæ Canariæ Hispanici Imperii provinciæ fuerunt.

REGNA AMERICÆ.

I. *Americani ex nostro orbe originem trahunt.*

QUæritur per quas vias ex nostro orbe in novum primi Incolæ pervenerint. Dubitari non debet, quin vario modo & diversis viis eo pervenerint. Si enim Asia Americę alicubi cohæret, via terrestris reperta est. Sin freto vel mari dividitur, Scaphis navibusque trajecerunt. Alii quidem ab Occidente per novam Zemblam & Gronlandiam: sed non ex Norwegia, ut Hugo Grotius voluit, de quo supra. Alii per Orientem ex China, Japponia per Terram nuper repertam cui nomen Eso. Sed in universum Insulanos Americæ & multas in continente gentes à Phœnicibus eorumque colonis Carthaginensibus ortos luculentis demonstrari potest argumentis. Reliqua multitudo manifesta Scythicæ seu Tataricæ originis argumenta præ se fert, præcipue Mexicani, Peruani & Brasilienses. Nec dubium est, quin ex Britannia quoque, cum Saxones illam destruerent, multi profugi in Novum Orbem delati fuerint: nec non ex Hispania, cum il-

lam in Saracenica illa tempeſtate. Ita tamen ab antiqua origine degenerarunt, ut hodie difficulter ad primos fontes deduci poſſint, confuſi inter ſe lingua, moribus, & habitu corporis.

II.

Innumeroe habuerunt Regulos.

Per ſingulos prope pagos, maxime in Nova Francia, Virginia, Florida & aliis innumeris regionibus. Hos Regulos, qui continentem habitant appellant Sagamos; qui Inſulas, Caſiquas. In Virginia ſuperioribus annis celebres fuerunt Rex Wingina, Opiſco, Diamaco, Poneno, Specanginouch. In *Florida* Magnus Rex Olava Udina & Saturiova. In Quivira repertus fuit ab Hiſpanis Rex Tatarax, i e. Albus Tatarus.

III.

Regnum Novæ Albionis Angli detexerunt.

An. 1580. *Franciſcus* Draco Anglus, cum orbem circumnavigaret, ſupra Californam detexit regionem, quam novam Albionem ſeu Angliam appellavit, cujus Rex Eliſabethæ Anglorum Reginę ſe ac ſuos ſubjecit, ac Draconi coronam impoſuit: ſed propter

pter nimiam distantiam atque etiam regionis inopiam Angli ab eo tempore ejus curam omnino abjecerunt.

IV.

Regna Mexico & Peru omnium amplissima & cultissima fuerunt.

1. Mexicanorum origo deducitur à Navatlacis, qui populus Americæ septentrionalis cultissimus fuerunt. Hi circa A. 820. ex Septentrione versus Austrum progredi ac migrare cœperunt: quæ profectio in multis circumstantiis Israëlitarum ex Ægypto in Terram Canaam iter adumbrat, Diabolo opera Dei multis modis æmulante. Septem erant Navatlacum gentes, totidemque Duces. Post diuturnam in itinere moram pervenerunt ad lacum amœnissimum, in cujus ripa ordine consederunt. Ultimi omnium advenerunt Mexicani, ita à Duce suo Mexio appellati, qui urbem Tenoxtitlam seu Mexico in ipso illo lacu exstruxerunt, creato Rege Thenuch circa A. C. 1325. cui A. 1375. successit Acamapixtli, quem Acosta falso primum fuisse regem statuit. Initio exiguæ eorum vires ac tributum vicinis suis pendebant. Quintus Regum Iscoalt circa A. 1437. arma pro libertate sumpsit, & feliciter in partem redactis vicinis magnum im-

imperium condidit, quod adeo crevit ſub Motezuma primo, ut ab uno ad alterum mare latiſſimo tractu extendatur. Ultimus Regum fuit *Motezuma* II. cujus tempore A. 1519. *Ferdinandus* Corteſius cum Hiſpanis regnum Mexicanum detexit, ac intra biennium innumerabili multitudine barbarorum occiſa, univerſo, nomine *Caroli* V. potitus fuit, ac inæſtimabiles inde opes in Hiſpaniam pervenerunt. Urbs Mexico ex lacu in ripam ejus tranſlata ante aliquot annos inundatione tota periiſſe dicitur.

2. In America Meridionali fuit regnum Peruviæ, quod vero nomine appellabatur Tahuantiſuyo, quæ vox 4. plagas orbis Terræ deſignat. Conditores hujus imperii fuerunt Ingæ, quæ familia Duce Mangocapa urbem regiam Culko conſtruxit, circa A. C. 1200. Ejus ſucceſſores longe lateque rerum potiti vaſtiſſimum imperium conſtituerunt, quod incredibilis magnificentia urbes ac palatia habuit, adeo ut iis ſimilia per univerſam Europam non reperiantur. Circa A. 1500. regnavit Guainacapa, qui regnum Quito ſubjugavit, ac univerſum imperium ſuum admirandis ſtructuris exornavit. Obiit A. 1523. duobus relictis filiis, Guaſgare & Attahu-Alpa, quem corrupte Attabalibam vocant. Inter hos Guainaka-

nakapa teſtamento regnum ſuum diviſerat, ita ut Guaſgari cederet imperium Cuſconicum, Attahualpa regno Quitonis pręeſſet. Sed cum in illo teſtamento clare definitum non eſſet, cuinam fratrum provincia Thomebamba cedere deberet, magnum inter eos diſſidium exortum Hiſpanię occaſionem prębuit Peruvię invadendę, quam recens detexerat *Franciſcus* Pizarrus. Guaſgare capto ac interfecto ſolus Attahualpa imperio potitus fuit: qui cum Hiſpanorum inſolentiam ferre non poſſet, innumerabili cum exercitu eos aggreſſus à parvis ipſorum copiis ſuperatur ac vivus in ipſorum poteſtatem pervenit. Promittebat incredibilem vim auri atque argenti pro ſua redemptione, jamque toto regno congerebantur opes, cum Hiſpani contra fidem datam eum proditionis accuſarunt, ac ad mortem condemnarunt. Ita Attahu-Alpa juſſu Pizarri A. 1533. ſtrangulatus finem imperio Incarum in Peruvia impoſuit. Nam qui poſt eum regnarunt Inca *Paulo* & Mango nonniſi montanas quaſdam provincias, latronum potius quam regum more obtinuerunt. Ultimus omnium fuit Xaires Topa Inca, qui A. 1557. ſeſe *Philippo* II. Hiſpaniarum Regi ſubjecit.

V. *Chi-*

V.

Chilenſes Rempublicam habent.

Omnium fortiſſime Hiſpanis reſtiterunt Chilenſes, pręcipue Arauſani, à quibus ingentes clàdes multoties acceperunt Hiſpani: ita quidem ut Ordines Belgii ſpem conceperint ſeſe auxilio Chilenſium univerſa Peruvia Hiſpanos expulſuros, miſſuſque eo cum armis ac navibus A. 1638. Navarchus Browerus, qui fedus cum illis contra Hiſpanos pepigit: ſed id negocium poſtea intermiſſum fuit.

VI.

Braſiliani abſque lege & rege vivunt.

Nulla Reip. ſpecies apud Braſilianos reperitur: ſed domeſticum tantum imperium agnoſcunt. Qui ſeniores natu & plura ediderunt in bello facinora, quandam veluti Ducum authoritatem apud eos obtinent Quod ergo *Ioh.* Staden de Magno quodam Braſilianorum Rege Koniambeck in ſuo Itinerario ſcribit, proculdubio falſum eſt. Hodie Braſiliani littorales partim Portugalis, partem Belgis favent. Pręcipui ex iis ſunt Tapuję: Quę porro reſtent in America ad eundem fere modum ſeſe habent.

VII. *In-*

VII.

Insulæ Haiti, Cuba, Iamaica, Borriquen suos habuerunt Regulos.

Insula Haiti, quam hodie vocamus Hispaniolam, quinque regna complectebatur circa A. 1490. Præcipui Reges quos Hispani ibi reperiebant, erant Caonabo, Guarinux, Marabonez & Guacanaril. Hispani has Insulas cædibus ita exhauserunt, ut, cum olim innumerabili multitudine abundarint, hodie omnino ab indigenis desolatæ jaceant, extincta penitus insulanorum horum progenie.

TERRA AUSTRALIS INCOGNITA.

I. *Terra Australis nondum detecta est.*

Restat adhuc ingens Orbis pars versus polum Australem, quam navigantes procul quidem aspiciunt, ingredi autem nisi interdum aquandi ergo propter incolarum ferociam non audent. Quidam Hispanus nomine Ferdinandus del Quir A. 1617. regi Hispaniæ exhibuit accuratam earum terrarum descriptionem, in quibus se diu vixisse narrabat. Immensam ibi auri argentique eo-

copiam, incolas factionibus inter se ac dissidiis divisos facile armis. Europæis superari posse. Non semel quoque Societas Indię Orientalis deliberavit de Expeditione in Orbem illum incognitum suscipienda: sed hactenus res intra voluntatem ac conatum stetit.

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM & VERBORUM
MEMORABILIUM.

A.

C.

E.

H.

Otto-

Re-

R.

divi-

S.

V.

Z.

FINIS.

